



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

Martius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

I. DIES MARTII.

Abjiciantur illa omnia, quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi; longam dolori. *Eucheri. de contemp. mund. i i.*

Tempus est semen **I.** **O**rdiris hujus anni mensem tertium, quem opto tibi esse secundum. Utinam incipias Deo cum novo mense, servire nova mente.

Ad novam vitam animum adjicies, si (ut monet tesserā) abjicias illa omnia, quæ vitam tuam faciunt brevem occupationi, longam dolori. Quæ sunt illa, nisi quæ mentem abducunt à felici æternitate, & adducunt ad infelicem vanitatem? Illa hoc mense abjice, & serio cogita, ne te non cogitasse, aliquando sero pœniteat, tempus hujus mensis, esse sementera Æternitatis. Magnum profectò, atque omnium maximum est salutis & Æternitatis negotium, totum tamen vertitur momentis vitæ brevissimæ, rapidissimæ, irrevocabilis, semperque de exitu suspensæ, quæ proinde momenta, sunt centum oculis observanda, totidem manibus à nobis occupanda, ne nobis vacua excidant, frustreturque nos occipitio calvo, rei bene gerendæ occasio, si adventantem non invaserimus. Nihil opus veterum symbolis, ut intelligamus occasionem esse præcipitem.

II. Ponamus tantum inde prolixissimam primum in mundi incunabilis mortalium vitam, hinc

L

Æter-

Æternitatem: & hujus sementem mirabimur
 exiguâ illâ (quæ longa videbatur) contineri: nec
 verò ævi, quod degimus tam brevis, & momentaneum
 tempus quantulumcunque est, æternitatis lucrare
 esse; & quàm stultum, si juvet etiam aliquid de eo
 mere, quod in ludicra conferamus. Hoc rursus
 breve, cum æque incertum sit, & sæpe tridui claudu-
 tur ungue, quod fore nonagenarium putabatur, quod
 seu fronte, seu prudentiâ, hoc ipsum omittimus, quod
 occupamus languidius, quo uno possimus immortalitatem
 promereri, nunquam postea redituro? Num
 mihi videntur quidquid de temporis pretio scrip-
 tes Ethnici dixerunt, præ iis quæ docet Christianitas,
 quàm ignorabant, æternitas, (a) At S. Bernardus de
 plorat cùm nihil sit pretiosius tempore, nihil tam
 vulgo haberi vilius: gravissimeque arguit horam po-
 nitentiæ, veniæ, gratiæ, gloriæ destinata, otio, fabu-
 lis, apinis, & affaniis donari. Nos verò quanto acer-
 bius objurgabit, lacerabitque æterna pœnitudo no-
 glectæ opportunitatis, quâ brevi compendio cælum
 nobis asserere poteramus.

III. Quid latro infelix, beatum intuens criminum
 socium, sed pœnitentiæ (si non ei. pertinax obstet) felici-
 simum magistrum? Quid tu? quid ego? si quod
 absit, tam execranda fors nos interceperit, quid alius
 quivis inter fontes æternis addictos ignibus, quo fle-
 tu, qua rabie, quibus ululatibus inculaturus sit illam
 socordiam, qua possessionem summi Boni excuti sibi
 de manibus non modò patiens tulerit, sed eam
 sponte respuerit? quâ amarâ recordatione revocaturus
 articulos temporis, quibus flammæ illa serviles,

(a) Serm. 75. in Cant.

& atroces vitare, Regnum illud perpetuum, ac securum nullo negotio, levique brachio valuit comparare? Porro etsi omne vitæ tempus, futuræ sit seges beatitatis, sunt tamen in eo quædam opportunitates occasionum utrimque maximarum, Deum nobis vel multum demerendi, vel non parum offendendi. Tale fuit Josephi fuga ex adulteræ manibus, quantò periculosior, tantò securior, fortior, & gloriosior: tale Sulannæ constantia, certo deliberatæ mortis discrimine, incestorum frangens libidinem. Tales actus Heroici, quibus manu violentâ, affectus charissimos Divinæ obedientiæ jugulamus. Hâc occasione uti oportet, dum licet. Est enim grande Dei beneficium, quævis molestæ pugnæ materia, quia est semen excellentis victoriæ; eam verò tanti quæstus materiam, ut nemo prætereat nisi hebes, & futurus mercator, sic ista Divinæ Bonitatis egregio facto nobis obstringendæ commoda argumenta, nemo, si modo vir fuerit, elabi sibi patietur. Utendum occasione, moneris hoc poëmate:

Ferrum quando valet, cedere quisque valet.

2. DIES MARTII.

Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus. *S. Augustinus 24. in Joan.*

Inclinans ad
Perfectionē,
primo declinet
ad malo.

I. **C**UM esses parvulus, didicisti in schola Prisciani, declinare nomina; jam vir factus, discere in schola Christi, declinare vitia,

L 2

vicia. Prima tibi sit lectio, quàm tradit David: (a) *elina à malo*. Sed quia multi in censendis malis turpiter hallucinantur, quid sit malum, hic inquirendum. Nostra socordia, ad nihil est diligentior, quàm ad utilia. Eradicamus herbas, examinamus fibras, scindimus, coquimus, eliquamus, exenteramus feras, inspicimus intestina, distinguimus arterias, summè diligentia exploramus viscera animalium, & tanquam naturæ laniones exsecamus. Quotusquisque interitum dum omnia extra se cognovit, mentem applicat se, quis sit, intelligat? Morborum causas, & naturam inquirere, sumus usque ad pertinaciam solliciti, inspicere, imò vel inquirere naturam boni, & malum. Virtutis, & vitii, minimè sumus curiosi. Pretium tandem fuerit operæ, in tanto salutis negotio, omnem impendisse operam. Illud nunc impensè agemus, ne dum animam agemus, intelligamus nos per omnem vitam, actum egisse.

II. Ut quid res sint penitus perspicias, oportet ea non quales videantur, aspicere, sed quid sint, inspicere. Contrahendæ sunt aulæ rerum, quibus oppulsa latent, ut nudas, suæque sinceritate perspicuas exploremus. Detrahendæ sunt illis larvæ, abstergendus fucus, tollendæ phalæx, auferendæ bractææ, sequentes naturam non famam, veritatem, non opinionem, quia plerumque minus sunt quàm videntur. An qui pedalem esse solem autumant imperiti, tu talem esse fateberis? An qui oblatrat lunæ, canis, splendorem detrahit? Multa existimat imperita multitudo esse bona, quæ ex albo bonorum sunt expungenda. Non sit tibi multitudo errantium, pro auctoritate; nec enim

(a) Psal. 36. 26.

Martius.

enim minus errat, qui cum multis errat. Percurre omni, quæ adorat nostra cupiditas, quibus dedicantur vota, ad quæ referuntur suspiria, quibus consecrantur vigiliæ, unde ambitio suspenditur, quæ invidiam occupant, & quæcunque cum tempore fluunt, & effluunt; reperies ea omnia injustissimè bona dici, falsissimè putari. Lux est quod facit lucidum, calor calidum. Effectus rerum dant titulum rebus. Cur quod te bonum non facit, faciet fortasse pessimum, bonum vocas? imò & putas? Tam erras in titulo quàm in iudicio. Non est bonum, quod non facit bonos. Opes si probos plures, quàm improbos fecerunt, probentur: ipsum vulgus quod vulgò probat divitias, improbat divites, quod pecuniam commendat, pecuniosos condemnat. Sæpissimè se divites malos faciunt, cæteris mala.

III. Deus ex necessitate est bonus, imò ex natura Bonum, & in genere boni, summum, igitur quod fecit Deus non potest esse malum. Si sit igitur aliquod malum, hoc facit homo, quia sibi malus: est porro sibi malus, dum bonis utitur malè. Hoc enim dum agit, aliquid agit, quod honesto, quod rectæ rationi, hoc est. Deo repugnat; atque ita secum pugnat. Deus qui est Bonitas, & amat bonos, illis tamen parcissimè tribuit, illa quæ vulgo putantur bona; certè non aliam ob causam, nisi quod non sint bona. Tollit Deus illis bonis reverentiam, dum illa communicat malis, quibus nulla debetur reverentia: ut jam pudeat ea ambivisse, quibus frui, est integrum etiam pessimis. Coge in unum cœtum, omnes illos albz gallinæ Filios, Saules, Nabuchodonosores, Antichos, Herodes, invenies eos circumfluxisse naturæ,

& fortunæ bonis, & tamen non tantum fuisse malum
sed malorum pessimos. Quid? an Deus inimicis
favet, amicis nocet, dū hisce negat, quod illis dona-
t. Non dat deus nisi perversis bona, quæ mentē perve-
runt. Quales sunt congestæ opes, nam ut docet Poëta
Sape solent census, hominis pervertere sensus.

3. DIES MARTII.

Primum malum est, esse malum. *S. Chrysostomus*
serm. 7. de Jejun.

Quid
proprie
malum.

I. **H**Æc tessera, te docet nulla posse
tibi esse mala, si non sis ipse
malus. Malum quid sit ut
telligas, in geminas classes necesse est
vidas: spectat ad naturam altera, altera ad mores.
Naturæ malum est, quod integritati Naturæ, incolu-
mitatique adversatur. Sed illud injustè dici malum,
convinco ex fine hominis. Certum id est, non ideo
esse in rerum natura, ut rerum sublunarium potioris
Unde rebus extra te positis carere, non est malū. Ho-
minem te, non pecudem memineras: ideoque sperne,
ne tibi ipsi sis gravis, gravem corporis molem, quæ
ad indigna abjicit mentem. Corpus est telluris inutile
pondus, & portio tui humilior. Itaq; potiùs tui par-
te ad cælum & cælestia, ad Deum & Divina, unde ge-
nus ipsa ducit, erigere. Animus tibi est non modo ab
omni terrena labe secretus, atque adeò extra teli je-
ctū, cum sit liber, & sui arbitrii, sed & Divinæ sapien-
tiæ spirans imago, ac Numinis beneficio, supra om-
nem naturam conditā evehctus ad ipsius Dei Majesta-
tem, ut illi admirabili amoris & intelligentiæ comple-
xu æternum adstringaris. Ille tuus est finis; tuum istud
est

Martius.

Tessera.

167

est Bonum, summū, ultimum, ab omni parte infinitū.

II. Illo tu non contentus, aliunde forsitan aliud adscisces? Tibi illo fruendi defore quidpiā ad beatitudinem absolutam iudicas, quod audeas sperare ab aliquo creato, hoc est exiguo, levi, incerto, momentaneo, abstracto, umbratili, imaginario? Quod si negas, ut certè par est, atque tuum omne Bonum unicus est, & solus Deus: Malum tibi profecto nullum esse debet, nisi quod Deo contrarium est. At neque opibus carere, neque gloria, neque viribus, neque voluptatibus, Deo contrarium est; in meam ergo sententiam concedas necesse est, fatearisque non esse revera malum, quod malū vulgo homines appellitant; aut certè defertā tantā tuā dignitate, Deum neges ultimum tibi finem esse præstitutum. Itaque expunge è catalogo malorum, quæ vulgus infamavit nomine malorum. Inique mala pronuntiat, quæ malum non faciunt habentem, sed aliquando bonum, sæpe meliorem, non raro optimum. Quapropter paupertas, ignominia, morbi, & quæcunque adversa, non adversus te pugnat, nec te miserum faciunt, sed fuisse ostendunt; non te malum reddunt, sed fuisse produnt. Deus sæpissimè in bonos quos amat, dispensat, qui delectu nō errat, qui amare non desinit; non ergo mala credas, quæ optimus dat, aut bonis, aut ut faciat bonos.

III. Vel igitur nullum necesse est fatearis dari malum, nisi quod est oppositum summo Bono, hoc est fini tuo ultimo; aut necesse est alium tibi præstituas finem. Si enim est malum, illud quod iudicas, est oppositum alicui Bono, non huic tuo ultimo, uti fateris, cuiuspiam ergo alteri, quem tibi finem proposueris, & à quo tuis animi ægritudinibus, quam-

diu vivis, lenimentum emendices, quod ab ultimo fine sperare non audeas, quia vel illi deesse, vel inesse esse cumulatius arbitreris. Atqui vel ipsa morte sacramentum, nescio cui, dictum, obtinavit amantissimi C. Menius Augusti centurio. Cum enim Antoniano bello improvisis hostium insidijs circumventus, & ad Antonium Alexandriam productus, rogatus, quidnam de eo statui deberet. Jugulari me, inquit! jube: quia nec salutis beneficio, nec mortis supplicio adduci possum, ut aut Cæsaris miles esse dicar, aut tuus esse incipiam. Et tu minimo periculo vel dolore, vel molestia, Dei miles esse defines? incipies esse mundi? Non ergo hæc, quæ vanè putantur mala abducant te à primo Bono. Nulla sunt bona si malus es, nulla mala si bonus. Quid refert pati mala, quæ te bonum vel inveniunt, vel faciunt? Certe non bene se habet, qui se malum habet. Itaque illi crede mala, quæ habentes reddunt pejores, & in illis mutant bonos mores. Qualia sunt quæ largitur Venus, Bacchus, Plutus; si Poëtæ est fides.

Bacchus, & argentum, mutant mores sapientiorum.

4. DIES MARTII.

Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. *Senec. Epist. 10.*

Paupertas I.
non est
mala.

AD illa quæ perversè creditur mala, sigillatim dilabor; & ab eo quod plerique, ut malorum primum fugiunt, Pauper

Martius.

Tessera.

169

Paupertate inquam, exordior. Ut intelligas Paupertatem non debere censerī in classe malorum: quid sit esse pauperem, investigandum est. Hoc te docebit prælecta tessera. Cui accinit illud Epicteti, qui rogatus quis esset Dives, respondit: (a) *Cui satis est quod habet.* Suffragatur huic Claudianus. (b) *Semper inops quicumque cupit, quia multa petentibus, multa desunt;* illumque nemo nescit pauperiorem, cui plura desunt. Cui verò plura desunt, quam cui nunquam satis? Aliud est egenum esse, aliud pauperem. Avarus ut circumfluat divitiis, tamen egenus est; nihil habet, dum plus habet; perdit omnia, dum servat. Nihil interest inter divitias naufragas, & servatas: perditum est quod inutile. Pauper nemo est, qui cum paupertate benè convenit; & quia non cupit, non eger. Undè pauper, hoc sensu, Deo est simillimus. Hinc & beatissimus, Deus nullâ re ad usum sui eget, cui simillimus erit, qui minimo indigeat.

II. Quapropter si cupis esse dives, quin & beatus? in promptu est modus, cupiditatem compesce, cupita contemne. Ut sis ditissimus, oportet vel habere omnia, vel contemnere omnia. Habere omnia, nulli est integrum, contemnere omnia, cuius est arbitrium. Itaque nihil concupiscere, omnia contemnere, norma est obtinendæ non tantùm opulentia, sed beatitatis. Nec enim beatus dici potest, cui bonum aliquod deest. Deest illi sanè, qui aliquid cupit. In te igitur istud evince, ut tuis contentus, nihil cupias, & cum Comico illo dicere possis. (c) *Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil cùm est, nihil desit tamen.* Convenit cum illo cuiusdam Ascetæ

L 5

pro-

(a) 1. Ruff. (b) Horat. l. 3. Oda. 16. (c) Terent. Eun.

pronuntiato. (a) *O quam multa habet qui nihil habet*. Dives ergò est, non qui multa habet; plura quippe sunt, quæ non habet, nec qui omnia habet, is enim nullus est, sed qui nihil cupit: is denique dives est, quia quod vult, id omne habet. Nam profecto, pauper ille solus est, (b) *qui sibi videtur pauper*, qui nimirum sibi deesse quidpiam dolet: ille revera dives, qui sibi videtur dives, cum deesse nihil putet, & suis contentus, nihil cupiat.

III. Illud igitur tibi sit persuasissimum, eum esse beatiorum, non qui plura habet, sed qui minus cupit. Id in confesso est. Quid enim est Beatitudo? Summa inopia cupiditatum. Itaque ille ditissimus, & beatissimus est, qui desideret nihil; quem pauca fatient. Cur sunt inventæ opes? non ideò ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Hoc si verum, & illud verissimum; mensura igitur opulentia est non plus habere, sed minus deesse. Quid porro facit deesse, nisi cupiditas? Quid quod nemo pluribus eget, quam qui plurima possidet? Magna domus eget magnâ familiâ, magna familia eget pluribus habitatoribus: hic pluribus utensilibus; illa pluribus custodibus; itaque cum plura dives habeat, non tantum plura cupit, sed pluribus eget. Quapropter quisquis auget cupiditatem, auget & necessitatem. Vide quàm sint divitiæ insufficientes, quibus nec communis necessitas sufficit. Si divites nihil egerent, votis & desideriis egebunt. Nihil sufficiet illi, qui superflua, facit necessaria; cui natura non sufficit, Cupiditatem sequitur semper, alia cupiditas; nunquam enim cupiendi est finis: cupiditates porro sequuntur.

(a) *Gerardus Benedictinus.* (b) *Senec. l. de mor.*

Martius.

Tessera.

171

quantur curæ, possessiones, discrimina; quo plura possidet, plus timet, quia plus periclitatur. Nec securus, nec tutus erit. Ubi tuta sunt omnia, non erit tutus votis suis, nec securus curis. O invidendam avarorum beatitudinem! cessare, securos esse, cum incipiunt esse beati; perdere tranquillitatem, cum consequuntur fœlicitatem; licet totus in ejus domum Pactolus exundet, nunquam se putabit abundare. Hinc rem acu tetegit Poëta, dum ita cecinit:

Non est in mundo dives, qui dicit, abundo.

5. DIES MARTII.

Si ad naturam vivas, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives.

Senec. Epist. 16.

Natura I. **S**I causam hujus tesserae inquiris; paucis est contenta. **S**apud illius auctorem reperies: quia *exiguum natura desiderat, opinio immensum*. Illud Naturæ lumine est propè omnibus notum. Naturam paucis esse contentam. Tergiversaris credere? Audi eundem Senecam. (a) *Panem & aquam natura desiderat: nemo ad hoc pauper est*. Naturæ miraris severitatem, & stomacharis? Accipe quæ sequuntur: (b) *Non enim horrenda res, aqua, & polenta, aut frustrum hordeacei panis; sed voluptas est, ex his capere voluptatē*. Natura in nos nec prodiga fuit, nec avara, nulli invidet, quod necesse est, nulli quod non est necesse, erogat. Non dentes homini falcatos dedit, ut apris, non uncinos, ut leonibus, ungues, non solidos, & messiles, ut equis, quibus

(a) *Epist. 25.* (b) *Idem ep. 18.*

quibus calces funda sunt; non pellicea tela ut hylinis, quibus arcus, & pharetra cutis sunt; non trassiles domos ut testudinibus, non loricas cuticularum, ut testaceis, non muros spiculatos ut echinis, non denique amicis cetis, spinis, plumis, corticibus, crustis, testis, pilis: sed exermem nudumque reliquit. Ab animo omnia proteguntur. Præstat nudum, & solo animo dominum esse Naturæ, & Fortunæ.

II. Voluit Natura convincere, quàm minimè multis rebus opus sit ei, qui postulet convenienter vivere, hoc est, qui facili, & parabili victu sit contentus: nam quæ vitæ usus poscit, omninò sunt paucæ, in promptu, ac nullo ferè sumptu, ac labore comparantur. Cui enim, si sedendi voluntas incedat, non sit paratus vel cespes, vel lapis, vel truncus ubi confidat? Cui si somni necessitas adsit, non pateat vestita herbis, ac floribus humus, in quibus, tantquam in culcitra molliret cubet? Quis, si sitis urgeat, liquores pellucidos amnium, ac fontium in conspectu non habeat ad quos sitim sedatum accedat? Ad contrà, quæ luxuries invenit non semper sunt parata, tum sumptum, laborem, solitudinemque desiderant. Sapienter Philosophus quidam, qui cum ænini gratiâ mercatum obiret, ubi quamplurima erant exposita pretiosa venalia. Quàm multis inquit, rebus non ego! Quid igitur invidemus illis, quibus multa sunt superflua, cum illa potiùs habent sint onera, quàm accipienti beneficia. Injurius es in Naturam, si conqueraris illa tibi negata, quæ brutis pedibus sunt indulta.

III. Quid? annè major fuisset Naturæ gratia, si hominem fabricasset protectum squamvis, aut vestitum

tum pilis, aut loricarum crustis, aut armatum spiculis, aut receptum hospitio, domestica sarcina, aut innato carcere, quàm nudum, inermem, depilem, ut omnia posset esse, & mutare tegumenta, & domicilia? Multi homines gauderent, ut gaudent modò nudi incedere, alii vestiti, alii armati, alii exermes, alii sine domo, alii intra latibula. Non omnibus omnia placent, nec eadem eidem omni tempore. Permolestum esset semper vestitum esse, semper armatum, semper manentem domi, aut onustum suâ casâ, ut testudines, & ostreae. Arma, belli tempore conveniunt; possunt tunc arripi: Pelles, & vestitus in hyeme possumus tunc protegi; nuditas quoque suo tempore, & quieti, & balneis placet: id homini arbitrarium. Domicilia contra cœli injurias tuentur; possumus tunc condi. Sæpè sub dio juvat esse, & tunc cœlo perfrui in terra licet. Cælum tunc videmus, & totos nos cælum videbit. Dedit omnia nobis Natura, cùm nihil dedit; omnium animalium dotes indulgit, cùm negavit, vestimenta Armeniorum murium, nuditatem ranarum, rusticitatem dorcadum. Suas vices reliquit Rationi, suam arbitrio jus, suam voluntati libertatem. Permisit Animo omnia, ut hic excolatur, & formetur. Ut igitur Natura, sic & tu paucis contentus esto, & assequaris illud Poëtæ.

*Qui non curaret, plus quàm Natura rogaret,
Hic locus plus esset, quia res sibi nulla deesset.*

6. DIES MARTII.

Quis est tam compositæ fœlicitatis, ut non aliqua ex parte, cum status sui qualitate rixetur? *Boetius l. 2. p. 4.*

Fortuna non nocet.

I. **S**I nolis cum statu tuo rixari, cum fortuna altercari, nunquam, in quacunque fortuna, sis alter: semper indissimili fortunæ conditione, tui similis. Nunquam fortuna tibi erit mala, si ipse non fueris malus. Hanc ergò, ne quidem novercam admittes in classem malorum. Malum tibi creas, si ab illa pendeas. Memineris illius Laconis, (a) quia ab aliquopiam, Lampem Æginetam, cum audisset fœlicitatem prædicari, quod prædives esset multorum navigiorum possessione, acutè respondit; fœlicitatem de funibus pendentem non magni se facere. Suspensa semper erit tua fœlicitas, si pendeat à tenui filo Fortunæ. Tum demum vir eris, si animum tuum nec prospera fortuna efferat, nec adversa dejiciat: Si te existimes non infortunatum, etiam cum abstulerit omnes tibi fortunas. Iniquè enim conquereris, cum scias datum mutuum; itaque ignorare non potes, repetendum esse cum luceat.

II. Quid quæris extra te fœlicitatem? Quisque vehit secum expeditam fœlicitatis officinam, Deus & homo solitarii fati sunt; quisque sufficit sibi; cuique inquam sufficit quod suum est. Unum puto præ omnibus fœlicem, qui in se uno, & Deo ponit omnia, Philosophus ille Priennensis, qui cum ex incendio nihil secum tolleret, omnia secum portare jactabat; noverat rem portatu facilem esse fœlicitatem.

(a) *Plutarch. in lacon.*

Homo sibi cum Deo sufficiens, non deficiet animo inter pericula terræ, inter minas cœli inter furias Inferorum. Non aliis armis, quàm inermis animi. Audax, nisi procax. Epictetus provocavit Fortunâ. O Jupiter, inquit, plue calamitates, stationē meam servabo, non amittā bona mea, non pacem: plue labores, plue pericula, plue dolores, plue ignominias, plue inopiam: nec importunitas laborē, nec timor discriminis, nec sensus cruciatuū, nec pudor opprobrii, nec incōmoda paupertatis incommodabunt mihi, non obruent gaudium, non turbabunt quietē domesticā cordis, non munitā modo, sed securā. Quis non credat hic loqui non tam Gentilē, quàm Gentilium Magistrum Paulum? jactantem, quod neq; mors, neque vita, neq; Angeli, neq; Principatus quid multis? neq; creatura alia posset illum à sua dimovere voluntate, à suo separare amore. Quid miraris? Separaverat suum amorem à separabilibus. Erat non tantum supra Fortunæ regnum, sed extrâ Fortunæ jactum.

III. Quis fœlicior Deo, à quo omnis fœlicitas, in quo nullus non fœlix? Nulli Deo thesauri sunt extrâ Deum; omnia bona secum habet, ipse est. Nullus suæ fœlicitatis apparatus nisi ipse. Itaque frugalis beatitas est, sine sumptu. Quapropter victor Fortunæ, & contemptor fortunarum, qui sine rerum appendicibus se contentus vivit, quadam divinitatis æmulatione, sibi sufficit. Mirabiliùs dicam. Deus sufficit sibi, sed non superest. Totum quod est, necessarium sibi est; Ità tamen homo sibi (cum Deo tamen) sufficit, ut abuudans sibi, & supervacaneum sit ferè dimidium sui: sufficit animus, superfluit corpus: adeò locupletes, affluentēque ipsa nos natura fecit.

cit. Non totum quod dedit, non totus homo requiritur felicitati hominis. De se superest, ut sit super rebus, ut sit lætus, fœlix. Proscindatur manus, amputetur pes, resecetur brachium, eruantur oculi, amputata dexterâ, scissâ tibiâ, secto armo, effosso lumine, mutilo corpore poterit gaudere, retinere quietem sui, integrum virum esse. Fœlix esse potes etiam sine artibus, quid opus est fortunæ opibus? cuius est integrum etiam sine corporis integritate gaudere, quid ad gaudii integritatem conquiris Fortunæ quisquillas? nunquam eris vir unus, si adhæreas fortunæ: nec enim fortuna est omnibus una. Causam quaeras, accipe ex Poëta:

Si non mutarer, tunc non Fortunâ vocarer.

7. DIËS MARTII.

Si vis beatus esse, cogita hoc primùm, contemnere, & contemni. *S. Martinus Episcopus Dumon. de Mont.*

Nec contemptus.

I. **H**ic se, velut meleominatum monstrum, objicit, quod omnes velut atrox malum, & metuunt, & fugiunt, contemptus; qui tantum Naturæ adversatur, quantum honor lenocinatur. Hujus desiderio, illius metu, quot, & quanti per omnes ætates, ubique gentium viri per flammâs, per maria, per ferarum laniatus, per armorum cuneos, per densam telorum grandinem, in mortem ipsam ruerunt? Sed quid de contemptu sentiendum inquiramus. Ab aliquo tu contemne-

temneris. Quæro ergò: meritò an immeritò? si meritò, vitio id factum est tuo, ut qui aliquid fecisti, quod factum meretur contemni; vel certè vitio id fit Naturæ, quæ reddit contemptibilem. Si tuum est vitium, preferendus est tibi ille contemptus, quia quod pateris, est ex merito; ut enim patereris, factum est tuo vitio: nec te lædit, qui te despicit, sed tu ipse qui aliquid commisisti dignum desplicatu. Quid? an velles propter aliquod facinus probari, quod nemo nisi improbus approbet? Ne igitur metuas contemni, sed esse contemptibilem. Talis nemo est nisi suâ culpâ.

II. Sed grave est, inquires, aliis esse ostentui, & despiciatui citrà culpam. Si mihi corpus imbecille, infacetus vultus, lippientes oculi, balbutiens lingua, si ingenium tenue, leve iudicium, hallucinans memoria: si illeberalis in me naturâ, ut Therpsitem genuit: illud, ut est contra meum desiderium, ita est citrà meum arbitrium. Sed ut hunc contemptum fortiter contemnas, hoc tibi velim esse persuasissimum: hoc contemptu non te impeti, sed ipsam deformitatem, vel defectum; Naturæ sit, vel fortunæ. Quomodo censebis te peti, quandò, quod tuum non est, impetitur? Nec enim tuum est, quod non est in potestate tua. Nos magni nimium nos ipsos æstimamus, & cùm nullius simus pretii, pretio nostri nimis abripimur. Nemo nos tangat, ulcus est, quaquà tangimur. Et interim nos facimus ridiculos, dum famus irridenda. Quisquis sui contemptus est contemptor, nihil ambitiosius expetit, quam haberi ab omnibus caudex, stipes, fungus. Quidquid cachinnorum, ô dicaces sanniones, inquiet, est, expromite,

M

irri-

irridete, protervè mihi illudite, nullius mihi iucundior lusus : omnibus me ignominibus appetite, id enim est quod peto, & expeto, graviora me iudicium meritus ; nihil facietis suprâ meritum meum. Plurimas commisi stultitias, cur iniquè feram, & stultam haberi? Isto vas dignum operculo.

III Stabis in ipso apice fœlicitatis, si possis hoc unum discere, Contemnere & Contemni. Nullus erit beator in mundo, si possis hæc quatuor à te impetrare. Spernere mundum ; spernere nullum, spernere sese, spernere se sperni. Sed age, à te quæro, quid est qui te contemnit, sapiens an stultus, probus an improbus? Non est sapiens : nec enim quod bonum est, contemni potest nisi ignorantia, vel malevolentia. At in sapientem ignorantia, in probum namquam cadit malevolentia. Superest igitur ut improbus sit, aut insipiens, à quo te contemni deprecas. Quod mavis, elige. Improbus est? Non est quod ab illo timeas & convicianti dic cum Diogene. Nec mihi credit quisquam te laudanti, nec tibi meritis vituperanti. Una est laus, par commendatio, æstimatio à probis, ab improbis vituperari. Quod si ab insipiente sperneris, jam ipse te insipientem prodis, si te sperni credis. Noli illum dignare isto honore, ut sententias dignum patientiam, quod ab indigno patris. Quid à stulto expectandum, quam stultè facta? fecit ergò quod suum est. Quid te miserius si magnificas te parvi fieri? Erisne ideò parvus, quia parvis? Tantò quis Deo est vilior, quantò sibi pretiosior; tantò autem pretiosior, quantò ipse sibi vilior. Unus si te Deus contempserit, periisti funditus : unus hic si te laudaverit, beatus es, frendeat liceat, &

floci

Martius.

Tessera.

179

hocci pendeat universum genus hominum. Tutissimum est nihil præ se contemnere, quasi qui nulli profit ad usum: quia ut scitè Poëta:

Tam malè nil cūsum, ac quod nullum profit ad usum.

8. DIES MARTII.

Cui ita sufficit fœlicitas sua, ut etiam alium velit esse fœlicem? *Salvianus l. de gubern.*

Nec I. **I**nvidiam pati, non est malum pati; nec enim ideò es malus, quia alter tibi invidet bonum. Magna est tibi gloria, dignum esse alterius invidiâ. Nemo invidet misero, nisi fortè illi, cui minor est, quàm invidentis miseria. Hinc fœlix invidet fœliciori, imò & fœlici; quia quibusdam ipsa fœlicitatis æqualitas, seges est invidiæ. Fertur igitur Invidia in alienum bonum, ut monet prædicta tessera. Eâ causâ Bion olim hominem invidiâ vulgò notum conspicatus, tristi ac dejecto vultu. Nescio, inquit, tibi ne quid piam Mali, an quid boni contigerit alicui alteri. Cùm igitur tibi senseris invideri, ne querere, ne te saucium inclamaveris: excerta æmuli tui confessione, id tibi sit in confesso; Bono de aliquo præditum, te beatum esse. Contra si neminem tibi invidere compereris, dic quod Themistocles adhuc adolescens: *Præclari nihil dum feci, mihi quippè nondū invidetur.* Invidus illius bono contabescit quem se superiorem agnoscit, vel parem, vel à quo superari timet, vel æquare.

M 2

II. De-

II. Deindè satiùs est esse invidum, quàm miserum, adeòque dignum potiùs invidiâ, quàm misericordiâ. Percurre animo omnes terras, evolve omnes omnium ætatum historias, vix invenies hominem naturam vel fortunæ dotibus insignem, ab hac peste immunem, ab hoc malo eximium. Non tamen tibi auctorem fuero, ut declines invidiam, declinare Virtutem, Invidiæ materiam. Præstat enim esse cum Invidiam Achillem, quàm sine eâ Therisitem. Vix est homo qui possit evadere bina hæc mala, alterius videlicet Invidiam, & contemptum: Invidiam non evadit nisi vel desidiâ, vel miseriâ: si sic evadas, jam evadit contemptibilis, quia contemptui est miseria, & ignominia. Eligendum potiùs per excellentem gloriam conferre se super omniam invidiam. Sint potiùs qui doleant bonum, quàm gaudeant malum. Nunquam bono quis invidet, sine suo malo.

III. Ubi compereris hominem tibi invidentem, est quod tibi gratuleris: alterius enim invidia, certa est boni alicujus in te confessio. Bono tuo, quo gloriaris, ille dolet, ideò dignus cui indoleas. In isto te fastigio colloca, undè despicias aliorum in te invidiam; nunquàm de gradu tuo moveberis, nec animo commoveberis. Non inficior, ubi cœperis præ aliis eminere, pericula undique invidiæ tibi imminuent, adeoque non eris extrâ teli jactum, sed intrâ iactum; sed stupea erant tela, nec plus te lædent quàm araneorum telæ. Senecæ cothurnus docet. *Ars prima regni est, posse te invidiam pati.* Quidni dixerim, *Ars prima cœli est, posse te invidiam pati.* Invideri non nemini potest, invideri nulli. Nihil interim istiùs est invidiâ, quæ ipsa suum auctorem excru-

Martius.

Tessera.

181

excruciat, & perimit. Quid igitur miserius invido, quem non modò mala propria, sed bona etiam aliena cogunt miserum esse? Quid calumniosius, quàm puniri propter aliorum merita? Quid scelestius, quàm minùs dolere suis malis, quàm aptare aliena? Quid injustius, quàm bonis propriis non gaudere, & alterius mala appetere? Quid funestius, quàm odifese omnes, se affligere? Quid perversius, quàm abominari meliores? Argutè dixit Enagoras. Alii suis calamitatibus dolent; invidi præter sua mala, de alienis bonis tristantur. I nunc, & invide invidis, qui semper sunt multò miserabiliores quàm illi, quibus invident. Undè ut veritatis assertor, hoc modulatus est Poëta,

Invidus invidiâ comburitur intus, & extrâ.

9. DIES MARTII.

Malum est, malè uti bono. *S. Augustinus*
lib. de nat. Bon. cap. 36.

Necad- I. **Q**Uæ vulgus vulgò collocat in malorum serie, non sunt nisi personata Mala, sunt verò germana Bona: sed nobis nocent ut mala, quia utimur bono non benè. Mala judicantur, quæ nobis sunt adversa: hæc tamen hominem non faciunt miserum, sed ostendunt. Deus, qui non potest errare in rerum delectu, adversa immitit suis dilectis: quid ergò vocas mala, quæ dat optimus, aut bonis, aut ut faciat bonos? Inique creduntur mala, quæ Christi oraculo, sunt bonorum perennium

M 3

nium

num bases, hoc est, Beatitudinis sedes: Christo-
mentum fuerunt labores, vestitus paupertas, gloria
humilitas, opprobria honor, delicta injuria, gaudi-
dium mœror, solium patibulum. Hæc ergo quæ in-
pienter plebs insipiens autumnat mala, sunt jam con-
secrata in Christi sacratissima, & anima, & corpore
& sunt ad gradum quasi Divinitatis evecta; quid ergo
dubitas, quin summam mereantur reverentiam? Est
supremus gradus stultitiæ, judicare, imò & genus
blasphemiarum pronuntiare mala, quæ & ipse in se pro-
bavit, & nobis commendavit is qui est summum Bonum.
Itaque paupertas, labor, humilitas, Tolerantia,
Ignominia, spirant quid Divinum quia attactu per-
sonæ Divinæ reddita sunt Divina.

II. Monumenta illustrium Heroum venerantur,
etiam non illustres: Divorum colimus reliquias, etiam
iam mali: Sanctorum veneramus imagines, etiam
minimè sancti. Quid sunt, quæ tu collocas in cen-
malorum, paupertas, patientia, subjectio; nisi Chri-
sti reliquiæ? Has tu Christiane ut sacra pignora
non rejicias, sed admittas, non contempnas, sed ho-
nores. Si corporum colimus reliquias, animo-
rum negligimus? si suspicimus vel ipsa instrumenta,
quibus quasi sunt Martyres sancti, cur illa despiciamus
quæ consecravit Sanctus Sanctorum, propter quem
passi sunt Sancti? Corporum reliquiæ, sunt ossa, &
ossium cineres; animorum sunt virtutes, & virtu-
tum exempla. Habemus non modò Corporis, sed
quæ nobilior est, Animæ Christi reliquias, virtutes
ejus Heroicas: has æstimemus, & nobiscum circum-
feramus, ne circumferamus omni vento dextræ, &
sinistræ Fortunæ. Hæ reliquiæ erunt cupidatis no-
stræ

Martius.

Tessera.

183

stræ amuleta, ægritudinum omnium panchestrum. Flectamus genu sanctissimis laboribus, presemus, imò exoscuemur manus Paupertatis, inclinemus verticem Humilitati, pectus nostrum consecremus Patientiæ. Si crucem adoramus, quod in ea Christus sit passus, cur ipsum non suspicimus pati, cur non suspicimus Patientiam?

III. Hic à te quæro : si Christus sub immani Crucis trabe fatiscens, ac Montis Golgotæi jugum subiens, jamq; in solum prolapsus, tibiq; in hoc cruento suo itinere obuius, supplicibus verbis eblandiretur, ut velles succolando vicarios præbere humeros, ac partem oneris subire, quid ageres? An non omni, quod fingi potest, dignum te judicares supplicio, si hoc Christo negares sic supplicanti? An non te omnium censes sceleratissimum, si Christus tantam pro te patiens lanienam, à te in re tam facili pateretur repulsam? Quod si ipse suis manibus, crucem tuis imponeret humeris, illam nè oblatam respueres, impositam rejiceres? Nonne tuas & panderes manus, ut exciperes, & submitteres labia, ut osculareris, & inclinares humeros ut gestares Sacrosanctum illud lignum, tanquam laureatum quo triumphaturus sis curram? Imò unicum tibi votum foret, non tantum ferre Christi crucem, sed loco Christi mori in cruce. Desine optare tibi fieri, quod ipse potes facere. Illa quæ te premit Paupertas, quæ te opprimit Adversitas, qui te pungit dolor, qui te angit mœror, qui te fatigat labor, crux est, cujus faber est Christus, fabri filius. Pronâ totius animi reverentia, hæc quæ tu vanè arbitraris mala, suscipe, nec nunc sit tristis anima tua, si patitur

M 4

cor-

corpus tuum. Potius exulta ob beneficium, & in
tristitia expecta auxilium, memor illius versus:
Auxilium Christi, venit ad nos tempore tristi.

10. DIES MARTII.

Genus quoddam sanitatis est, homines
interdum non esse sanum. *Salvianus*
Epist. 312.

Nec
morbi.

I. **V**ix mente sanum dixerim, qui
corporis sanitatem perdidit, &
non reputet genus quoddam
esse Divinae Misericordiae. A nobis, nostraque sen-
tentia est, morbos à Deo esse: igitur non potest esse
beneficium, quod est à Domino benevolo, & be-
neficio; quod omnis boni auctorem habet. Est
cœlesti Medico, qui medicum non minus agit cum
sanat, quam cum tollit sanitatem. Quid melius
debes, aut potes optare, quam velle, & habere
quod est melius? Hoc solum est, quod vult, &
amatis, qui in se, & tibi est melior, Deus tuus.
Deus est infinite potens, infinite sapiens, & infinite
bonus. Plus te diligit, quam tu te ipsum; plus
desiderat bonum tuum: melius scit quomodo illud
consequi possis: vires habet ut tollat omnes obices,
& efficiat, quod ad id expediat. Quid igitur cogitas,
dum ob morbum tibi divinitus immissum ploras?
An Deus qui est sapientia fallitur; & errat? An qui
est Bonitas, affligit te voluntate non bonâ? An qui
est Potentia, hic deficit nec potuit efficere, ut il-
lam, quâ infestaris, ægritudinem declinares?
Non morbus ille tibi evenit ex imbecillitate Dei,
quasi

quasi non potuisset, aut malitia, quia noluisse, aut deceptione quasi nescivisset, malum quod pateris propulsare, sed ex sapientia, Potentia, Bonitate summa. Cur tu reprobas, quod approbant, & in quo occupantur Attributa Divina?

II. Rem pressius urgeamus. Corporis ægrotudo hoc boni affert etiam malis: homini hominem objicit, & dum infirmatur, humanæ naturæ detegit infirmitatem, ex cujus cognitione, nascitur germana fortitudo; ut jam sæpe major se ipso incipiat esse, quo incipit hæc notitiâ esse minor. Sinit deinde Deus te dolorem sentire morbi, ut dolorem concipias peccati: & sic veniendo ad summum Medicum, discas detestari summum malum. Unde vitia omnia ne se prodant, sopit. Raro alterum ad singulare certamen provocabit Paralyticus: non oberrabit tesqua, & saltus, ut latrocinia committat, podagricus; caco stomachus non se onerabit crapulâ: nec periclitatur de ebrietate, qui vini nauseam patitur: nec in venerem feretur, quem corporis dolores non sinunt de voluptate cogitare. Itaque contra dolores, morbi comites, excitandus, erigendus, & armandus est animus, contraque suos hostes in aciem educendus. Cogita igitur illud palmare argumentum. Dolor quem morbus infert, vel est remissus, vel est vastus: si remissus, facilem, si vastus, brevem requirit patientiam. Parce gemitibus, aut fugiet, aut fuget necesse est. Sic utrimque libertas est in foribus.

III. Denique morbus cum sit mortis prodromus, est instantis quoque æternitatis nuntius. Unde mortalis statim se effert supra mortalia; & terræ incola, jam nunc fit animo cælicola: nam morbi malorum

omnium finem, ac bonorum principium prælagunt. Dic, age, si molestissimo diu clausis carcere, malè materiatur parietem rimas agere, minarique rimam observares; an non gauderes fugæ, libertatiq; tuæ aditum aperiri? Annis sensim, malisque, ac demum morbis fatiscit corporis moles: gaude, brevi conquisquis gloriosas corporis dotes: libertas animi proxima est: dum enim animam agis, carcer tuus rimam agit: mox animus è suis vinculis evolabit in Patriam. Aperitur tibi aditus, quo penetres cœlorum adyta. Quid malè ob malam suspiras valetudinem? E morbo convalescere nil aliud est quàm reparatis ruinis firmiore claudi carcere, novisque constringi compedibus. Est ab ipsa, quàm propè manu contingebas, metâ, revocari ad carcerem. Est hostem duro conflictu prostratum surgere, reparatisque viribus certamen instaurare. Unum interim te moneo, ante mortuum de vita dispone, & vitanda propone. Nam ut plurimum infirmorum infirma sunt proposita. Suffragatur mihi Poëta.

*Demon languebat, monachus tunc esse volebat,
Ast ubi convaluit, mansit ut ante fuit.*

II. DIES MARTII.

Nemo nisi suo vitio, miser est. *Senec. ep. 70.*

Nec ulla
alia mi-
seria.

I. **S**ub titulo Miseriæ comprehenduntur mala omnia simul conglobata. Quapropter rationibus adferendis expugnemus Miseriam simul,

mul, & semel ostendendo, nihil ex omnibus hactenus recensitis esse Malum. Quid impetis tuis querelis Miseriam, cum nemo sit miser, nisi quia vult esse? Si enim nemo sit miser nisi suo vitio, neque quoque est miser nisi suo arbitrio. Sed ne miseras, quæ te comprehendunt, ut miseras, hoc est, ut malum malè apprehendas, ad eum animum attollas, cujus unius est miseras vel tollere, vel mittere. Illa quæ pateris mala is immisit qui solus est Bonus, Deus. Nunc sciscitor: Deus illa tibi mala immisit, vel iratus, vel propitius: si propitius, quid inique fers Deum tibi propitium? Cur refragaris Deo, tibi suffraganti? Cur & calculo tuo non approbas, quæ Deus tibi immittit ut te probet: quia facit, ut te vel reddat, vel conservet probum? Si iratus, ut eum tibi facias propitium, debes illi credere, & æquo animo ferre, quidquid tibi infer mali, ne alias fias malus. Homines irati, si quis resistat, magis irascuntur, si nemo contradicat, placantur. Sic Deus placabitur, & ipse illi placebis, si non modo accipias cum silentio, sed cum gaudio, non modo cum patientiâ, sed cum gratiâ.

II. Vin' certam inter omnia, quæ te undique circumsepunt, & involvunt mala, pacis, & quietis obtinendæ regulam? Non velis tuo arbitrio regi, tuo consilio duci. Ad altiora es conditus, quàm ad ea quo tua te ducit voluntas. Nec enim pro creatus es ad tuam gloriam, non ad tuam voluntatem, non ad tuam voluptatem, non ad tuam solum salutem, non ad tuam opulentiam; imò nec ad fruendum solum Deo in cælis. Ad majora te erige, excelsiora suspice: nobili⁹ aliquid est tuus finis. In utero matris conceptus; Dei manu procreatus, in mundo denique es natus;

tus;

tus; ad gloriam Dei, propter quàm Deus omnium
voluit, & fecit. O magnum finem cuius magnitudi-
nis nullus est finis! Hunc potes consequi, dum Deus
te finit mala perpeti. Non tuus es, sed Dei, non ergo
quæras quæ tua sunt, sed quæ Dei. In altera vitâ id
lum erit ignis expiatorii alimentum, quod in hac vitâ
fuit propriæ voluntatis instrumentum.

III. Omnes hujus vitæ miseræ consistunt in vo-
luntate, quia illa non est conformis Divinæ. Affli-
guntur homines, aut quia non habent, quod vellent.
Hinc jam convinco, qui non habet ex se velle, & nol-
le, in omni miseria carebit molestia, in omni bello
fruetur pace, inter pericula erit securus, inter arma
nas felix. Cui unum est cum Deo nolle, & velle, gau-
debit semper, dolebit nunquam, quia semper habe-
bit, quod vult habere. Semper enim quod Deus fieri
cupit, aut finit. Quid est magis conforme rationi
an ut te submittas voluntati Divinæ, ei te conformando,
an ut Deus conformet Voluntatem suam tuæ, ei serviendo? Quid, an fortè præsumis de te, quod
aut meliora quàm Deus cupias, aut salubriora scias?
Reminiscere quoties etiam noxia placuerunt tibi:
quoties tibi arrisere tua damna, quoties la-
puerunt in pharmaca, quæ tamen erant toxica. Con-
tra, quot Deus tibi exhibuit argumenta bonæ erga te
voluntatis. An non bona fuit voluntas, quod propter
te factus sit homo? An non bona quod factus sit tibi
sub speciebus panis in cibum: & moriens in lytrum?
Eadem voluntas est quæ cupit hæc mala te pati, quæ
cupiit pro te mori. Si bonum tibi fuit, ut vellet Deus
ignominiâ, dolores, injurias pati, ne tu patereris, ne-
cesse est credas, cum aliqua tibi mala immittit, & pati
per-

Martiu
permittit
mala esse
patere, q
Utriguit
& sequar
Quam

Illis qu
grav
tu m

Nec mo

tur ut m
lum, n
fera nos
sub met
in eog
mala, f
opras,
fuerit e
mors,
infanti
nedun
imo de
anima
mum
ri, ho

Martius.

Tessera.

189

permittit, id tibi immodice ad salutem convenire, ea mala esse ad tuum bonum. Dum ergò pateris, ideò patere, quia Deus te vult pati, & quia meritus es pati. Urigitur tibi consulas, consulo, ut Poëtæ & audias, & sequaris consilium:

Quàm pateris dignè poenam, patiare benignè.

12. DIES MARTII.

Illis quibus est gravis timor mortis non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis. *S. Ambr. de bono mortis c. 8.*

Nec mors. I.

Claudat Malorum agmen, quæ, quia censetur terribilium omnium terribilissimum, timeatur malorum pessimum. Mors si mors foret malum, nulli non esset timendum, sed, ut docet tessera nostra, non est timenda, nisi illi, qui vivit sub metu mortis. Cui non est in voto potiri cælo, in eoque frui summo Bono? Quomodo mors est mala, sine qua non potes possidere summum, quod optas, bonum? Mors tibi erit in desiderio, si vita fuerit eximia à gravi flagitio. Illi soli timenda est mors, cui in vita fuit familiaris noxa mortalis. Quæ insania hæc? Illud metuis quod non potes fugere, nedum effugere, Mortem; & quod fugere potes, imo debes, non metuis, culpam mortalem. Mortem animæ, quo nihil potest esse pejus, utpote summum malum, quia causa omni mali, cum possit vitari, homines non timent; mortem corporis, cum non
sit

fit malæ; nisi malo, & evitari non possit, & metum
& evitare fatagunt. Cur amamus vitam fugientem
& currentem, quæ fugit nos, & non amamus vitam
permanentem, quæ expectat nos? Fatigamur, & la-
boramus pro vita præsentis, sive corporis, quæ non
potest retineri, & quæ non est nisi unius momenti, &
negligimus vitam futuram Animæ, quæ potest à no-
bis obtineri, & est vita æternitatis?

II. Quis si esuriens, foret in sterili ripa, ubi nulla
foret spes mitigandæ famis, videns ultra fluvium o-
nustas selectissimis fructibus arbor es: si mensam spe-
ctaret instructam exquisitissimis tapibus: si amicos
audiret invitantes eum blandissimis verborum leno-
ciniis, ut se eorum jungeret Societati, famemq; ac si-
tim pelleret, doleret si audiret pontem esse: aut formi-
daret transitum, si lembus offerretur, quo transcen-
dere posset, & fluvium trajicere, nec aquis se commit-
tere vellet, inani perspicacissimi amnis timore, mal-
letque perire in crepedine, quàm periclitari in alveo.
O nos insignissimè fatuos! Pro auro quod latet in
terræ visceribus, quod abditur in ipsis Inferorum
suburbis, perfido credimus oceano, idque vadimo-
nio gracilis ligni, aliquot asserum, & quidem inter tot
vel pericula, vel metus periculi: & tamen transmigra-
re in Patriam, in regnum, cujus nullus est finis, volu-
mus. Quis post diuturnam ac per molestantem pere-
grinationem, proximus jam patrio solo, & in illo pa-
ternis laribus, ubi parètes, affines, consanguinei eum
præstolantur, cu pidi frui ejus conspectu, avidi stringi
ejus complexu, tunc doleret, tunc vellet recedere,
reverti ad exilium, redire ad desertum, priusquam
aliquem vidisset? Deus te expectat Pater, Jesus Fra-

Martius.

Tessera.

191

ter. Maria Mater, Sancti cognati, Angeli amici : morte ad illos itur ; quid doles dum tibi est moriendum ?

III. Mors si velis, malorum omnium tibi erit finis, miseriarum terminus. Quantum igitur est bonum, quod necessarium est ut non simus miseri : quæ sine pretio captivos liberat, quæ sine favore Prætoris, vincetos emittit : quæ sine postliminio exules in Patriam reducit : quæ sine consensu Domini, servos manumittit. Quis si sapiat, animam jam agens, si denuo offerretur vita, acceptaret secundò matricis ergastulum subire, sordib⁹ nutrirì, aspectu cæli per tot menses, ac sensu tot annos privari, redire per tot ludibria Naturæ, per tot infortunia Fortunæ, resumere amentiam Infantia, metus Pueritiæ, ludos insolentes Adolescentiæ, pericula juventutis, curas virilis ætatis, molestias senectutis ? Nullum credo tam feliciter vixisse, cui placeret repetita tota vita. In hæc, quæ suffragio non repeteremus, sine suffragio immissi sumus. Mortem ergo ut ingens bonum, lætus expectes, non tristis formides. Hoc ipsum monet Poëta :

Mortis mitte metus, cupias si vivere lætus.

13. DIES MARTII.

Malum, est averfio ab incommutabili Bono. *S. Aug. l. de liber. arb. 2. cap. 14.*

Solum
peccatum
est ma-
lum.

I. **T**Andem post diuturnam, & studiosam Mali investigationem, illud velut serpentes in latibulo comprehendimus, illud.

Illud demum per excellentiam est malum, quo avertimur ab incommutabili Bono. Hoc malum, est peccatum, malum solum, & malum summum, ex quo reliqua omnia quæ vanæ putantur, protruduntur mala: ideoque malorum omnium est compendium. Sed non est facile de hoc compendio facere compendium. Ne tamen de tanto malo nihil dicam, quam non sit peccatum nihili faciendum attende, & expende. Illud est irrefragabile totius Christianæ Philosophiæ pronuntiatum: hominem cuius animus contaminatus est minimâ noxæ lethalis labe, longe esse miseriores, quàm si omnes qui in orco stabulantur cacodæmones corpore conclusos haberet, eorumque singuli illum omnibus omnium damnatorum cruciatibus torquerent. Sed æge, ausisne tantum de te sive patientiam promittere, sive constantiam, qua posses ignem tartari, vel horulâ unâ sufferre? Satis scio non ausis. Quæ ergo illa tua stultitia est, periculo temetipsum exponere, ne ad horrendos illos Inferorum ignes, non ad horam, vel diem, sed pro totâ, quanta, quanta est, nunquam finiendâ æternitate damneris?

II. Vel dolori dentium, aut calculo, ne uno quidem die ferendo es, & mala incomparabiliter graviora, quæ durabunt quàm diu Deus erit Deus, id est æternum, non exhorrescis? An nescis plerosque damnatos nihil minus cogitasse, quàm fore ut ipsi ad inferos condemnarentur; quodque falsâ ipsi spe, sive opinione Deum offenderint? Hæc ipsâ qua hæc legis horâ, illi stultam, falsamque fuisse infelicem hanc opinionem agnoscunt. Sed heu! ut olim in re etsi tristi, leviore tamen Phryges; ita hi in re omnium tristissima,

atque gravissima sibi quidem sero nimis sapiunt, & veritatem agnoscunt, postquam illis remedium spes omnis erepta est. Sed quæ illis fera nimis est resipiscencia, tibi adhuc opportuna est, atque ultimo servire potest exemplo, si eo de peccatis tuis, dum adhuc vivis, doleas, caveasque ea deinceps admittere. Non est profecto res levis, aut ludus puerorum, negotium tristissimæ, aut beatissimæ æternitatis.

III. O miserum & millies, milliesque miserrimum, qui nunquam, nunquam finem, cui à Deo conditus est, assequetur! Vel os loco tantillum emotum quanto, quamque acerbo dolore nos torquet? Quem ergo illum animæ dolorem fore putabimus, cum à fine suo ultimo, illa bonorum omnium possessione, æternum excludetur, & separabitur? Etsi nullum in peccato, ipsoque tartaro aliud malum reperiretur; esset hoc tamen vel maximè formidandum, atque timendum. Multum etiam juverit expendere, quanta sit ea gloria quæ per peccatum amittitur. Finge omnem aurum, omnes gemmas, monialia omnia, omnes totius orbis opes in unum cumulum esse congesta, & unum aliquem jure dominii, ac proprietatis ea omnia possidere. Quid si deinde vastissima aliqua terræ motu, ac concussione orta vorago, immensum illum, quem diximus thesaurum omnium opum, totum simul deglutiret, atque absorberet, quam gravis, atque acerbæ avaro maximè, cupidoque Domino jactura isthæ accideret? Sed quantula illa esset jactura si cum omnibus cæli divitiis, illâ plenissimâ, atque perfectissimâ bonorum omnium possessione conferatur: quorum peccator uno temporis punctulo, sola sua voluntate, petulantique libidine, jacturam tri-

N

stissi-

stultissimam facit, atque miserrimam. Intelliget miserum proco quid amiserit, dum cognoscet quid habere perituerit; hic enim sensus est Poëtæ.

Nescit homo vere, quod habet, nisi cesset habere.

14. DIES MARTII.

Temporalibus bonis non fiunt homines boni. *S. Augustin. Ep. 121.*

Erat homo in æstimandis bonis.

I. **N**on minori damno, & periculo hallucinantur homines in æstimandis bonis, quam in malis. Boni nomen apud vulgum

surparant illa, quæ nihil boni, nec continent, nec conferunt, præter nomen. Divinæ, gloria, honor, dignitas, fama, & id genus alia quæ fugiunt instar umbræ, evanescent instar fumi, & pereunt cum fragacissimo tempore, gaudent, & gloriuntur Boni nomine. Quomodo illa erunt bona, cum possidentes non faciant bonos? Bonum est quod prodest. Anne profunt bona temporalia, quæ nec faciunt bonum, nec auferunt mala? Dolorem capitis, corona fulvo metallo conspicua, non minuet, potius augebit, quia gravat: molles, & peregrinis odoribus perfusæ thirothecæ, non tollent chirogram, nec heroici cothurni podagram: nec siliare dapes, aut Sybariticæ delitiæ cholicam, nec gemmis rigida vestis, calculum. Non sunt convenientia his finibus media. Non magis conferent ut sis bonus, temporalia bona. Imo si rectè judicas, supervacua illa, atque adeo ut nihil esse dices, & duces. Quod quæso dicitur

crimen est inter supervacua, & nulla? Quænam eliges? Esurienti, ad remedium famis perinde est si nihil offeras, ac lapidem: ita, quæ remedium malitiæ tuæ non præstant, quæ ad virtutem non ducunt, quæ ad Deum non adducunt, sunt tibi supervacua; si supervacua, non plus quàm nulla, si nulla jam non bona.

II. Deinde, Bonum est sine defectu. Quomodo erunt sine defectu bona temporalia, cum deficient cum tēpore? Vix accipimus, mox amittimus: vix possidemus, statim caremus: vix incipiunt, illico deficient. Itaque cum hisce bonis necessario subsequetur tibi calamitas. Velis, nolis necesse est alterutrum eligas, vel bona temporalia judices mala, vel te miserum. Imo plus audeo dicere. Necessario tu miseris, sive mala sive bona: si mala, jam inter mala non eris beatus, cum Beatitudo sit bonorum omnium complexio; si bona, jam si his bonis careas, eris infelix: si infelix jam hoc ipso non erunt bona, quia inferunt mala, auferunt enim felicitatem, & aperiunt aditum miseriæ: duplici autem viâ sternitur via ad hanc miseriam, aut cum illa relinquunt, aut cum tu illa: alterutrum necessarium est. Quàm porro sint hæc bona deficientia, docebit te Augustinus. (a) *Temporalia bona antequam sint non sunt, & cum sunt, fugiunt, & cum fugerint non erunt. Itaque cum futura sunt, nondum sunt, cum autem præterita sunt, jam non sunt. Quomodo igitur tenebuntur ut maneant, quibus hoc est incipere, ut sint, quod est pergere, ut non sint?*

III. Tecupio, & tuam ipsam conscientiam in hac causa & hujus causæ controversia judicem. Amabo te,

N 2

nonne

(a) l. 3. de lib. arb. cap. 7.

nonnè hæc ipsa bona condemnas, quæ commenda-
 faterisque multis scaterere, quæ debent emenda-
 mendis? Commendas dum optas tibi, condemna-
 dum solum tibi. Hæc mala ut viderentur esse bona
 emendicarunt patrocinium Unitatis. Quid ita? Quod
 summi Boni est esse unum. Cùm igitur illa temporalia
 bona nihil in se habeant boni, illud affectarunt, quod
 est proprium summo Bono, unum esse. Si omnia
 quæ tibi voves, habeas, non acquiesces, licet omnia
 possideas nisi inter omnes solus, & unus omnia. Fi-
 teor summi Boni est esse unum, sed non unius: non
 est bonum singulare, sic tamen ut sit singulorum
 bonum unum, sed omnium. Quid majus bonum
 Deo? At Deus omnium est, & sic omnium, ut fruatur
 omnia omnibus. Ista quæ tu censes bona, cùm unius
 duntaxat sint, non sunt bona. Quare? Quia quæ
 unius sunt, nulli profunt. In primis aliis non profunt
 dum tua sunt. Debent desinere esse tua, ut incipiant
 prodesse aliis: nummus, nisi alienes alteri non pro-
 ciet: quid dico? imo nec tibi. Quid non proficit
 dico? nocent dum tua sunt, quia unius: & ne alia
 damna, curas, pericula memorem, invidiam inter-
 pono. Satis magnum malum est, cui magnum ma-
 lum appendix est. Ob tot nævos, & defectus contra
 omne jus, occupant bona temporalia nomen Boni
 quia possidentem reddunt, dum illos deserunt milite-
 rum, dum perniciousiter fugiunt inter læta omnia
 stem: ita mihi suffragante Poëta:

Hoc est consuetum, comitantur trista latum.

15. DIES MARTII.

Quæ est ista insania, acquirere aurum & perdere cælum? *S. Augustin. Serm. 25. de verb. Dom.*

Divitiæ I. **U**T declines à maximâ quàm maximè times insaniâ, monet te hodiernæ Diei tessera. Dilabor nunc à thesi ad hypothefin. Non tantum bona temporalia non faciunt hominem bonum, sed faciunt sæpè malum. Ac imprimis divitiæ quæ sunt alimenta vitiorum, peccandi instrumenta vitiosis. (a) *Quædam Societas panè etiam nominis, duabus, his rebus, vitius, & divitiis.* Vita nostra est quidam ad cælum ascensus: nemo in altum ascensus supervacuis se ponderibus onerat. Nihil auro gravius: vix illud possides, & mox tecum quæris. (b) *Factus sum mihi metipsi gravis.* Inde gravis labor, gravis timor, gravis dolor, labor, ut acquiras; timor ne amittas; dolor ubi amiseris. Quid gravatè fers te tot gravibus malis eximi? Divitiæ non tantum gravant, sed ligant. Opes enim sunt compedes: & quæ putas ornamenta corporis, impedimenta sunt animi. Plus enim tu illis servis, quàm illæ tibi. Pluresque est reperire viros divitiarum, quàm divitias virorum.

II. Causam scrutare cur inventæ sint divitiæ, & intelliges ærumnas divitium. Non sunt inventæ divitiæ, ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Ideò

N 3

mensu-

(a) *Eucher. de contemp. mundi.* (b) *Job. 7. 20.*

mensura opulentiae erit, non multa habere, sed nihil deesse. Deesse autem, cupiditas facit. Cupis in castris penuria multa cibaria, in arca Attalicas; veltes, in pectore xide gemmas, in capite diadema, in humeris ostreae; in stabulis armenta; haec tibi desunt: quid aliud desiderantur defectus, nisi egestas? incipis egere, dum incipis cupere. Quis enim pauperior illo cui multa desunt; jam desunt, dum cupis adesse. Itaque illi beatissimus est qui desiderat nihil; quem pauca satiant. Imo idem, & beatissimus est. Quid est Beatitudo? summa inopia cupiditatum. Haec Beatitudo in tua est voluntate. Si quidem omnia nolle, in tua voluntate est. Ubicunque dixeris, Sufficit, universa habes. Non enim quam summa fuit paupertas, nisi ubi summa fuit abundantia. Unde conficitur, Principibus & Dynastiis qui multum habent, multum deesse. Nam qui parum semper habuerunt, iis non potest nisi parum deesse.

III. Quapropter, quidquid est ultra usum, non habet possessionis fructum, sed custodiae periculum. Hinc Avaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestae praedae avidissima vorago, neque habendi fructu est felix, & cupiditate quaerendi miserrima. Haec enim habet sibi indivulsas comites, vigilias, & animi labores. Socrates ille Philosophorum antiquissimus, non praecipio, sed exemplo nos docuit, quam sit nihil aestimandum quod passim creditur bonum inestimabile, Aurum. Illud enim non exigui ponderis, sed magni; non alienum, sed suum; non coactus, sed sponte; non per tempestatem, sed per prudentiam projecit in mare, dicens: Abite in profundum malae cupiditates: ego vos mergam, ne met-

Martius.

gar à vobis. Hoc memorabili facinore animum pro-
didit tam excelsum, ut nullus avarus tantopere læta-
tus fuisset, auro in terra reperto; quantopere exulta-
verit Philosophus illo in mare demerso. Si nolis For-
tuna tibi illudat, lude cum illa, & strenuè rejice quid-
quid volatile, etiam aurum grave jecerit. Frivola hæc
bona frivole amanda sunt: infirma infirmiter; ad
nutum Dominæ reddenda ante exactionem. Non
expectes fortunam ut eripiat. Tu esto tibi Fortuna:
occupa ejus vices: tu tibi ipsi aufer, quod sublatura
est: abjice omnia felici infortunio per manum tuam.
Redimes fortasse te, jactura tuarum rerum. Relin-
que ergo brevi relinquenda. Tu ex necessitate brevi
divitias, & illæ te deserent. Ne horum sis immemor,
binas tibi aures binis vellicat metris Poëta:

O dives, dives, non omni tempore vives!

Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.

16. DIES MARTII.

Omnis voluptas quæ nec ex Deo, nec in
Deo suscipitur, voluptatis excrementum
est. *Nicetas in Orat. 106.*

Nec vo- I. **N**emo ambit divitias, nisi ut ac-
luptas. quirat delitias. Hic mentis a-
mentis est error. Quid enim
sunt voluptates, nisi dolorum, aut damnorum
appendices? Advehunt enim secum agmen malo-
rum: jam gravedinæ capitis: jam dolorem stomachi:

N 4

jam

jam morbum prolixum, jam pericula, jam timorem
 jam ipsam mortem. Ex voluptate, velut ex equo Tro-
 jano, effunditur acies malorum, quæ partim corpora
 partim animum infestant. Quid in voluptate occu-
 rat, nisi expectatio anxiosa, usus infamis, extrema
 ralia, tragica omnia. Nemo quippe potest uti vo-
 luptate corporis, sine læsa conscientia, sine læso No-
 miæ, sine salutis suæ periculo, sine Gratiaè dispo-
 sitione: voluptas enim quàm percipis, vel est remissa
 vel intensa: si remissa, estne pretium operæ, pre-
 tanto emere voluptatem tantillam? si sit intensa
 quo hæc est intensior, eo culpa est gravior, quo
 hæc gravior, eo & conscientia est inquietior, quo
 vero plus crescit conscientiaè perturbatio, eo minor
 est ex voluptate delectatio. Unde tandem quid de-
 quitur, nisi aut nullam esse conscientiam, nullam
 Religionem, nullum Dei metum, nullam salutis co-
 ram, nullam æternorum fidem, nullam spem futu-
 rorum: aut certè præ animi voluptate, nullam esse
 voluptatem corporis, quæ sentiri non potest cum re-
 ligione conscientiaè, cum Dei metu, cum salutis co-
 ra, cum spe, ac fide æternorum. Utrum mavisa-
 teri?

II. An non ergo mala voluptas, quæ est mater
 malorum pessima? Deinde, volatica est omnis vo-
 luptas: vix incipit, mox desinit: ferè simul est in
 ortu & occasu: non est diaria, sed momentanea.
 Metiamur delicias cum ipsarum pœnititudine: illæ
 in transitu sunt, hæc adhæret. Illæ in puncto tem-
 poris faceffunt; hæc per annos laceffit. Si diu sunt,
 pereunt, si diu non sunt, non delectant. Pœnitentia
 longæva est, quo diuturnior, eo & robustior.

Infam

Infamat ergò voluptatem, quæ illam non tantum sequitur, sed comitatur pœnitentia. Sic semper voluptatem punit, aut præcox pudor, aut serus dolor. Deindè, considera quanti constet illa, quàm expetis voluptas? sæpè maximo pretio emitur, quod nullius est pretii. Profectò, vanitas vanitatum est, pro vanitate voluptatis maximum animi pretium, & sanguinis Christi pretium dare. Hæc non modo vanitas vanitatum est, sed perversitas perversitatum. Quid moror? Unaquæque voluptas sibi repugnat impatienti sui: dum crescit, sed destruit. Quod damnum invenies cujus rea voluptas non sit? Ipsa sapientissimos demendavit. Vide Salomonem: ipsa perversit justos, vide Davidem: ipsos fortissimos enervavit; vide Samsonem.

III. Censeas te in sublimiori classe, quàm sint equi & muli, aliæque brutæ pecudes: sic non te abjicies ad earum voluptates. An indignaris, quia ut porcus non grunnis, ut lupus non ululas, an quia ut vultures cadaveribus non pasceris? Neutiquam: quia illæ voluptates, quàm sunt illis propriæ, tam tibi sunt alienigenæ. Ita si te, ut es, hominem consideres, brutas voluptates, non modo extrà te, sed intrà te positas despicias. Totâ beatus eris æternitate, sine ullis, quas tam expetis voluptatibus: poteris igitur & nunc eas non cupere, vel carere cupitis, & non esse miser. Fastidires voluptates infirmus, cur non benè sanus? Quid difficile judicas virtuti, renuntiare voluptatibus, quod necessarium facit infirmitas corporis? Quod potuit vitium Naturæ, non poterit robur Gratiæ, ut fastidias voluptates humiles & abjectas? Quot hominum sunt myriades, qui

vivunt sine voluptate, imò labore, ne dicam dolore & tamen vivunt, tunè solus moriturus quia sine voluptate? Non grave putes abstinere omnibus voluptatibus: ut potuisti majoribus carere, poteris minoribus: ut potuisti multis, poteris aliis: ut potuisti pluribus, poteris reliquis. Denique, si speretâ corporis asperitate, hic cupita fruaris voluptate, teque totum immergas cæno, certo prosciberes cælo. Quod si fiat, ut tibi consulas, sequere Poëtæ consilium.

*Asper erit victus, labor asper, & asper amictus,
Aspera cuncta tibi, si vis super æthera scribi.*

17. DIES MARTII.

Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur. *S. Augustin. in Psal. 10.*

Nec I. **I**N nullum opus futiliùs impeditur honor. **I**stra opera, quàm ut nanciscamur honorem: utpote cùm sit periculosa plenum aleæ, nunquam acquisitis est pretium opera. Nemo altiùs cadit, quàm qui altiùs ascendit. Quidquid exterris est sublime, obnoxium est ruinae. Ubicumque est fastigium, illic finitimum est precipitium. Quantò igitur est excelsior gradus, tantò est profundior casus. Primum quod feriunt fulmina, ut plurimum sunt culmina. Sic & fortuna illos primum dejicit, quos ut primos extulit. Quod è salutis suggestu excidissent si ad honorem fuissent evecti? Etenim cæli via penè est in via illis qui honorum premunt semitas. Hinc affinia sunt

sunt nomine dominatio & damnatio : qui vigitur
 metuat damnari , qui expetit dominari Inhonorus
 est omnis honor, nisi eo intendamus, & viribus con-
 tendamus augere honorem Dei. Imò si effectes ho-
 norem, hoc ipso sis indignus honore. Nemo hono-
 rabilior eo, qui non tantum sua sed etiam se despexit,
 non honorem modo sed honorandum. O quam
 magnus animus, qui ipsam animam contemnit, qui
 se rerum Dominum. Quo honorem minus aestima-
 mus, plura aestimantur. Inaestimabilis erit, qui ipsam
 sui aestimationem non aestimat.

II. Deindè quid quereris tibi honorem, vel non
 referri, vel auferri, qui quocumque te aspicias, te
 honore indignè cognosces? Nihil es nisi peccatum,
 & mendacium. Quis honoret nihil? tam dignus es
 quem omnes faciant nihili, quam ipsum nihil: si sis,
 imò cum sis peccator, cogaris si nolis mentiri, dicere
 cum Job: (a) *Redactus sum in nihilum.* Itaque ad
 nihil jam vales ultra, nisi ut contuleris ab homini-
 bus. Quæ igitur insanior insania, quam velle eorum
 ludibus honorari, quorum pedibus dignus es cal-
 cari? Quam ridiculus opilio, qui stomacheretur se
 non esse electum in Imperatorem? Quam stolidus
 latro, qui dignus vel puniri gladio, vel suspendi la-
 queo, postulare donari corona aut sceptro? Quid
 isti merentur qui rudes, tardi stolidi, & stolones, vix
 digni sunt qui sint lictores, ambiunt tamen esse Se-
 natores: non merentur esse carnifices, affectant esse
 Consules. Par tua est insania. Quantus quantus es,
 non es nisi vanitas, imò ipsa vilitas, ne dicam per-
 versitas, & putas te omni honore dignum, ac si
 esses

(A) Job. 30. 18.

cesses ipsa dignitas. Pavo fit licet totus formosus se
oculatam floridæ caudæ pompam, ob unicum
men pedum defectum, totus confunditur, & veri
color illa cauda præ pudore contrahitur.

III. Denique quanta est tua utilitas, tam quoque
est honor vilis. Ut honoreris non pendet à te, ne
à tua industria, sed ab aliis, & aliorum libidi
ne. Quàm igitur arduum est illud velle consequi
quod tibi nunquam potes dare, quod nunquam
occurreret, quod necesse est ut dent alii, ut dent multi.
Quid æstimas bonum quod negare malus valet, in
vidus volet? Quid censes bonum quod pendet
sæpè à malis? & bonum tuum quod pendet à
arbitrio alieno. Si omnibus esset integrum impune
tibi tuas tollere fortunas, quis te foret infortunat
rior? Isti licentia in honore est: cuius arbitrium
illum vel tollere, vel multum imminuere. Quæ ma
jor miseria, quàm precaria felicitas, quæ in om
nium sit manu, præterquam in tua? Erit segura tua
securitas, quæ pendet etiam ab hoste? quæ tot ha
bet pericula, quod fieri possunt iudicia? Ista condi
tio nostra est dum ambimus honores. Aucupamur
insensati, vulgi sensum, non quovis die sed hora.
Probari volumus ab his quos improbamus. Itaque
si sapias, noli honorem mutuari à mutabili honore, ne
& tu fias varius & mutabilis, certum est enim illud
proverbium:

Immutant homines mores, cum dantur honores.

18. DIES MARTII.

Gloria, sæva est bellua, horrendus dæmon, pestis orbis terræ. *S. Chrysostomus, Hom. 12. ad Cor. 2.*

Nec I. gloria.

Quis non potius horreat, quam expetat gloriam, si eam sibi apprehendat, ut emissam è cavea in domitam belluam? Quid si pestem, quid si dæmonem? Sed aliud est quod conditionem Gloriæ redit in gloriam, miserrima quam servit servitus. Infelicitè est fœlix, qui fœlicitatem mendicat & quàm sibi dare potest, ab aliis dari postulat: & quod infelicitus ab omnibus. Illi qui in Olympicis certaminibus gloriam certando extorquebant, pertinaci patientia frondem viridem emebant, cum sibi sine labore, & quæstu sexcentas frondes, possent succidere, & contexere coronas. Gratis à se habere poterant, quod ab aliis post herculeos labores, vix capiebant. Humillima est gloriæ conditio, suspensam aliis esse, aliena fide, se æstimare, talem se arbitrari, qualem quisque judicaverit, nec aliter se fœlicem credere, nisi quia alius dicit & laudat. Quæ fingi gravior potest servitus, quàm omnes habere Dominos: Gloriæ cupidus tot Dominos habet, quod timet displicere, scilicet omnes: ad omnes respicit, cujusque observat vultum, non aliter quàm mancipia Dominum. Quæ ergo fors abjectior, quàm eorum, qui gloriolæ peninis inveci, inhiant laudibus, & gloriosi nominis celebriatè occupantur?

II. Si

II. Si qui benè ab opibus instructus, in ea
geret civitate, ubi fas est omnibus, & jus singulis,
lum fortunis exuere, & pecunias tollere, nullâ id
ge prohibente; nonne licet facultatibus esset Cro-
sus, fieret mox alter Codrus? hoc gloriæ aucupibus
contingit. Cuilibet & Civi, & hospiti, & inquilino
fas est illius gloriæ aliquid detrahere, vel penitus ex-
pere. In hoc, par est miseria honoris & gloriæ,
quis incantationes hujusmodi nosset aut acceptas
Medæa, aut Thessalis, ut vocula una à se emissa, cu-
jus lachrymas ex geminis eliceret oculis, & è pectore
altos extorqueret gemitus, ex ore quæstus, nullum
quod eum infestaret malo præsentem, nonne illius po-
tentia esset tyrannis, adeoque singulis formidanda?
In homines ventosissima gloria inflatos nemo non
hoc potest. Vox unius raucæ mulierculæ, paucula
verba unius agricolæ, illius gloriæ splendorem dum
obfuscant, animum glorientis immodico mærore
infestant. Hinc necesse est eum qui toto ambitu, &
conatu gloriam prehensat, sententiis omnium ob-
noxium circumire, & attendere unicuique, ac me-
tuere ne quem nolens, aut volens offendat obser-
re, cujuscumque ordinis, sexus, fortunæ homines, se-
nes, adolescentes, fœminas, viros, nobiles, plebejos,
lascivos, avaros, eorum gestus, & nutus ut oracula
captare. O timidam fœlicitatem è lingua invidi pen-
dulam! si eâ naturæ compositus fuisses infœlicitate,
ut ad singula verba, febrî corripere, nonne misere-
rimis te miseriorem crederes? an nò beatior te
præsumes cum ad singula verba excandescas, stoma-
cheris, frendeas?

III. Quid quod perniciosissima sit gloriæ fugaci-

Martius
tas: vix a
desinit.
auris simi
quæ orie
Plauto (E
pentè ext
plena ina
nescat:
nium.
illa plebi
britatem.
Quis pla
cinantia
illa affect
gultinus
re? Turp
riam, qu
hoc ipso
riolus, q
rie numi
steritas,
reliquer
scimus tr
inter om
re, quam
curanda
fuisse,
CNRAS
(A) M
CONA, (d

tas: vix advolat, mox evolat: penè simul incipit, & definit. Unde ejus usura est volatica, & mobilibus auris simillima. Hinc à Gregorio vocatur (a) *Diaria*, quæ oriente die nascitur, occidente moritur, à Plauto (b) *solstitialis herba* repente exoritur, & repente extinguitur: à Luciano (c) *Ampulla inaurata*, plena inanitate, quæ suo pte ingenio crepet, & evanescat; à Clemente Alexandrino (d) *pictum somnium*. Quis igitur tam levis sit mentis, ut ludibria illa plebis, popularem jaçtationem, pompam, celebritatem, & pictæ tentoria linguæ, sitienter appetat? Quis plausus theatrales, & popysmata illa, ac lenocinantia auribus verba, non horreat ut verbera: cùm illa affectare nihil sit aliud, quàm ut loquitur S. Augustinus (e) *linguis humanis ruinosa gaudia construere*? Turpiter igitur hallucinantur qui quærunt gloriam, quam nemo veram invenit, qui quæsivit, dum hoc ipso quod quæsita sit amittatur. Ille solum gloriosus, qui contempsit se, & gloriam. Tanta illa gloriæ numina, quæ tota stupet antiquitas, stupebit posteritas, quid aliud quàm nomina, velut ossa gloriæ reliquerunt? solum est eorum, fuisse; solum noscimus transisse. Hæc igitur in mentis curia, sit tibi inter omnes curas prima, imò sola nihil minus curate, quàm, quæ ut minimi est facienda, ita & minimè curanda, non curare gloriam: aliàs vatem experieris fuisse, qui illud cecinit:

Curis plenus eris, si vis ut glorificeris.

19. DIES

(a) Nyssen. Orat. 5. (b) de Orat. (c) de Afersed.
 (d) in Protrep. (e) Epist. 56.

19. DIES MARTII.

Brevis vita est, & laudantis, & ejus qui laudatur. *Antonius serm. 7. n. 5.*

Nec
laus.

I. Sufficit ut vili pendatur laus, sola ejus brevitatis, quid si accedat ejusdem vilitas? patebit ejus vilitas, si qui sint viles illi, à quibus laudari cupimus, expendimus. Quàm est contemptibile theatrum! vulgus quod ex turibus, latronibus, prædonibus, scortatoribus, adulteris, & hujusmodi fœcibus conflatur. Tales enim sunt ut plurimum qui turbam faciunt. Itaque quos seorsim jure despiceres, & indignos judicares quorum judiciis te, & tua committeres, & sententiis submitteres, eos adunatos tantum facis, ut tuæ etiam salutis anteponas, quasi tibi ipsi non sufficeres. Quod si ad aliud quod supra te comminet Cœlitium, & Angelorum theatrum oculos convertas, despicias humanas laudes non minus quàm graculorum voces, quàm culicum stridores, quàm ranarum coaxationes, quàm apium bombas, quàm porcorum grunntus. Et quid tandem populus à quo laudari expetis? Suffragio S. Chrysoft. (a) est quidam tumultus perturbationisque plenum & stultitia majori ex parte constans: calculo Dionisii: *tanquam simus profundus, ex variis sordibus in unum coacervatus.* Quid igitur ac hujusmodi iudicibus pendere, & plautam eorum approbationemque operum suorum velit captare, nonnè mente captus, ipsum

(a) *Hom. 28. in Joan. Orat. 66.*

ipsum fatuitatis verticem occupasse videri poterit ?

II. Ulterius progredere, si amas laudari, vis aliquid quod non potest fieri. Quid ita? quia laus hominem bonum esse asseverat, sed hoc ipso quod laudari ambias, non modo vacuus es omni bono, sed plenus maximo malo, nempe Dæmoni proprio, superbia, & ambitione, Laus est hominis boni: sed si laudis es cupidus, jam desinis esse bonus, & incipis esse malus; quia velle laudari est malum. Quapropter desinit esse laudabilis; qui vult laudari, at si non est laudabilis non potest fieri ut laudetur, quia omni ex parte, & laude indignissimus. Vel enim de laude dignum iudicas, vel non: si iudicas, indignum laude, & tamen applaudis laudanti gaudes, illum mentiri: si dignum te censes qui lauderis, jam desinis esse laudabilis, qui talem te iudicas cum nihil sis, atque adeo contemptibilis. Est enim contemnendus quisquis de sui vel contemptu dolet, vel commendatione tumet, laus tua est filia, mendacii & mater opprobrii. Incipis esse improbus, dum cupis tua, & te supra meritum probari. Ama esse laudabilem, non laudari. Eris supra omnia laudabilia laudabilis, si hæc duo impensè desideres, laudem Dei, contemptum tui. Cur mavis bonus videri, quam esse, cum desinas omnino esse bonus hoc ipso quod optes vanè videri & falsè æstimari.

III. Quâ fronte quæro æstimari, quâ mente laudari, qui licet unico tantum momento, delicto minimo, Deum offendissem, æternum ab omnibus, quantum possent me contemnere, mereor contemni? Quam foret ille non tantum impudens, sed impius qui optaret illius laudem, qui Christum, cum

O

patere-

pateretur percussit alapa, vel illudit arundine, vel induit lusorio murice? Major mea quàm illorum impudentia, & malitia, & mendax fuero, si me illorum, qui Christum cruciârunt, prætulero. Quos fecerunt ignorantes, facio sciens & prudens, qui semel illi, sæpiùs ego. Quantum ergò mihi improbo est probum, si non me iudicem dignum ætati opprobrio? Esto, alii te ut bonum æstiment, & bonum existiment, an aliorum æstimatio te faciet inestimabilem? existimatio bonum? Non curatur inimus quòd alii asserant non esse infirmum, iudicem sanum. Quid eligeres, esse sanum, licet ab aliis credereris æger, an esse ægrum, & ab aliis credi sanum? tua infirmitas est tuæ laudis cupiditas. Cur tibi applaudis te laudari ut bonum, cum sis non modo non bonus, sed malis peior, sed peiorum pessimus. Tantùm abest ut ægri se velint dici benè sanos, si non sinat, ut malè illos habeat, se ægros non haberi: immò solenne illis est morbi malum etiam hyperbolice exaggerare, & gaudeant id ab aliis fieri: sic sui contemptor uti est honoris osor gaudet se despici, aliorum in se opprobria sunt illi lætitiæ materia, aliorum de se laudes, æstimat fraudes: Non immerito illius moniti,

Plus laudatori, quàm tu tibi, credere noli.

20. DIES MARTII.

Famæ plerique magnæ, malunt quàm bonæ esse. *Livius l. 6.*

Nec I.
fama.

Magna fama, magna est nota, nisi cum ea conjuncta fuerit bona vita. Quapropter vanitatum, quas in vanitatis sectatoribus observo, maxima est, quod non satis illis sit fuisse vanos in vita, nisi & post mortem relinquunt suæ vanitatis vestigia, fatuitatis monumenta. volunt vivere post mortem fama posthumâ. Sic velle vivere, quid est, nisi nolle sapere? Cupiunt laudari à posteritate, hoc est ab illis, quos neque viderunt unquam, neque videbunt. Quid infanius? illud enim perinde est, ac si dolerent se non fuisse à prioris etiam ætatis hominibus laudatos ante aliquot videlicet sæcula, cum nondum essent. Quam multi olim fuere cum viverent gloria non tantum noti, sed clari, quorum memoria eodem sepulta est tumulo, quo cadavera? Quorum prius præcone fama divulgabantur facinora, jam vix nota sunt nomina. Ubi primogeniti illi fortunæ, ante quos ut passer ante milvum, siluit orbis? Quomodo nunc de illis silet? multi ex illis sola infamia sunt famosi. Adeo ruinosa res est fama, quam tamen solam non mortalem putant habere mortales.

II. Huic tamen inanitati quam multi inhiant, Quid Ninum compulit, ut tot prælia committeret? Semiramis ut tot extrueret ædificia? Myrsen Græcum ut tot enavigaret maria? Alexandrum Magnum ut tot peragraret regiones? Herculem Thebanum, ut columnas eo quo posuit loco statueret? C. Cæsarem Romanum, ut justo quinquages bis prælio decertaret? Cyrum Persarum Regem, ut Asiam utramque occuparet; Annibalem Carthaginensem,

ut bellum tam contumax Romanis inferret? Por-
 rimum Epirotarum Regem ut Italiam devastaret
 Attilam Hunnorum Regem, ut totam expugnaret
 Europam. Non ideò tam ardua susceperunt & pe-
 fecerunt, ut cum viverent, à coætaneis tantum ce-
 brarentur; sed ut ea quæ dicimus, qui nunc vivimus
 diceremus. Tanta fames famæ. Et illa tanto ar-
 tu quæsitæ ut sit etiam tempore diuturna, quid pro-
 dest defunctus? ubi non sunt, laudantur, in mundo
 ubi sunt, cruciantur in orco. Melius illis fuisset sine
 ulla fama nunquam fuisse, quam cum magna pe-
 quam fuerint, sic interiisse. Quale enim est hoc illi
 solatium, supra terram clarere fama, infra terram
 ardere flamma.

III. Propone jam tibi quibus circumscriptur an-
 gustias; si spectas locum, punctum est in quo de-
 quid angustius? si tempus, momentum est quo
 vivis, quid contractius, & interim in tam modico
 & loci, & temporis spatio, immodicè laboras, &
 nihil non agis, pro re nihili. Jam verò quot sunt
 in illo ipso quo vivis oppido, qui ignorant non tan-
 tum quo fungeris munere, sed quo appelleris nomi-
 ne. Progredere ulterius ad finitimos pagos: qui
 magis distant loca, obscurior est tua fama. Qui in
 proximis degunt urbibus, multi ne quidem an-
 rerum natura sciunt. Quàm sunt igitur arcta fame
 pomæria, quæ vix egrediuntur urbis suburbia!
 vix notus es in urbe, quomodò eris clarus in orbe
 sed esto, sis fama ubique clarissimus; quid conferet
 ad salutem famæ claritas, nisi illam illustret vitæ in-
 tegritas? Tandem post impensos omnes labores us-
 que ad sudorem, post evolutos omnes libros usque

ad pallorem, post exhaustas omnes & animi & corporis vires, usque ad cruorem, nihil supererit ex tantigloria nominis, nisi urna pulveris. Omnia Deus immortalis cum hominibus mortalibus communicavit præter immortalitatem, ideoque trito epitheto, Deus immortalis dicitur, quia nunquam moritur, nos veri mortales, quia nullo non die, ne dicam hora morimur. Illi igitur cum viderent sibi perpetuitatem à Deo denegatam, eam sibi vel sumptuosis ædibus vel militaribus stratagematis, vel bellicis adonibus vel heroicis facinoribus, post mortem nancisci satagunt; sed frustra, mortalium mortalis est fama. Plus ergò labores, ut sit tibi bona vita, quàm magna fama: etenim;

Fama repleta malis, velocibus evolat alis.

21. DIES MARTII.

Plerumque nobilitas carnis, parit ignobilitatem mentis. *S. Hieron. in Epist.*

Nec no- I. **C**hristiana Philosophia non fumosis atriorum imaginibus, non ornatu familiæ, non copia bonorum fluentium, non gentilitio lemmitate, non avita gloria nobilitatem metitur. Ascititia sunt bona. Removenda sunt penitus illa externa, quæ circumstant, ut qualis, quisque sit verè videamus seponendæ opes, serice paragaude, gemmæ annuli, ædes marmore atque auro collucentes, parasiti famulorum greges, aliaque inanissima, velut in theatro pompa, nudum, & conge-

itis ac emendicatis à fortuna bonis spoliatum oportet inspicere, ut constet quam quisque sit nobilis, & quibus facinoribus, ut coloribus, primogenitum seum lutum ornavit, satius est per te alii, quam tu per alios noscaris, tibi que erit gloriosius, ut in te glorietur parentes, quam tu in parentibus. Avorum promerita, Nepotum sunt dedecora, si ab illis degenerent. Vera nobilitas est, clarum esse virtutibus, non parentibus, quæ honestat mentem non sanguinem sanguis donum est parentum, animus Dei: nihil aliud genitor generat. Pudeat igitur eâ solâ nobilitate inaniter gloriari, quæ constat donis humanis, non divinis, quæ tantum est carnis non mentis, Caro, sanguis, patrimonia, opes, tituli sunt bracteata bona, & communia etiam malis. Animus, Virtus, Gratia, Deus sunt bona, & singularia duntaxat bonis.

II. Christianus gloriatur de spiritu, nec majori faciat generationem humanam, quam regenerationem Divinam; sciat se ex Deo natum, præferat originem carnis, nativitatem sui spiritus. Cum nihil sit claritate generis adeo eximium, ac quædam probitatis necessitas, ne ab antiquorum degeneret virtute. Id subit periculum nobilis sanguis, ne ignobilem faciat mentem, dum virtutes majorum jactant suas negligat. Casus est nasci nobilem: fieri, virtus lucere alieno lumine fortunæ est, proprio Gratia quæ nobilitatis est matrix. Qui ex claro genere natus, nihil undè mereatur sic fuisse natum, præclarum gessit, alienam, videlicet avitam gloriam usurpet, qui tamen ex claris ipse clarescit, communem servat, sic qui ex non claris, clarus evasit, propriam gloriam habet, undè nihil in nobilitate est clariùs, quam causa.

Ex quo nobilitas procedit, nobilior est quam alter ad quem accedit. Nobilitatem transmittere, sanguinis est, dare virtutis, sunt à quibus nobilitas oritur, sunt ad quos transmittitur, sunt in quibus mergitur, nulli hisce nobiliores quam primi auctores: hi enim non fuere è nobilibus, se tamen solo fuere nobiles.

III. In illo perit omne decus generis, cui omnis laus est in sola origine. In illius enim gloriam, alii vixerunt. Infamat impios majorum fama. Est enim nostrum probrum, quod & hominem facit hominibus opprobrium, esse illustrem natalibus, & destitutum virtutibus. Nobilium gloria perexigua est solo beneficio naturæ, nisi commendetur ornamento gratiæ: sicut cœnosum rivum non commendat lymphidus perspicui fontis latex, sic nec clarissimus sanguis deductus in obscœnum animum cum scædant mores, decus Gentilium. Hoc generosi animi summum est honestamentum, non indignum esse majoribus, nec tam gloriari illustres habuisse avos, quam curare, ne obscurus ipse sit nepos, ut nascendi splendorem suâ vitâ atq; morte exaquet, & nobilitas mortis, respondeat nobilitati ortus. Præsignis character est nobili stirpe nasci, dum tamen gloriam nascendi nutriat decor vivendi, & velut reciprocante fluctu recurat in progenitores, ne tantum ab iis recipiatur, sed iisdem reddatur. Quapropter si quis sapiat ad excolendum virtutibus animum totus incumbet, quib' si nobilis fuerit; censetur genere non indignus, sin minus, ipse genus ornabit suum, Themistoclem imitatus, cui cum probro objiceretur quod nothus esset: At ego, inquit,

à me ipsum genus auspicabor, ac meum quidem genus à me incipiet, tuum verò in te desinet. Hanc igitur nobilitatem affecta, quæ originem trahit à probis moribus, non à majoribus. Sic non videbitur Poëta cecinisse furdo, dum ita cecinit metro.

Nobilitas morum magis ornat, quam genitorum.

22. DIES MARTII.

Pulchritudo est ignis, qui tangentes urit, constantes inflamat. *Xenophon.*

Nec pulchritudo. I. **U**T bonum inter omnia natura bona, & dona maximè contemptibile, ut par est, contenti-

nas, juvabit audire de ea Catorum virorum effata. Pulchritudinem pulcherrimè dixit Theophrastus, esse *dissimulatam fraudem, sive fraudulentum silentium*: Theocritus, *pulchrum damnum, ebriæneum detrimentum*: Socrates, *modici temporis tyrannidem*: Nazianzenus, *temporis, & morbi ludibrium*. S. Hieronymus, *oblivionem rationis*: S. Bernardus, *obscuratam carnis putredinem*. Nonne hæc pulchra de pulchritudine lineamenta? sæpè ubi major est corporis decor, minor est animæ splendor. Non rarò sub crystallina glacie latetOLIDUM CÆNUM: in muro polito subnascitur squamosus serpens interiora eburnæ dentis, molesta terebat scabies: quo pretiosior pannus, eo majorem edit tinea stragem: quo feracior arbor, eò magis à verme infestatur: hoc est sub cute candida, sæpè latet anima fordida. Fluxo aliquo hujus mundi intumescere bono, est vanitas vanitatum:

corpo-

corporis verò insolescere forma, & levitas levitatum, & fatuitas fatuitatum. Quid enim est aliud pulchritudo, quam velum oculis, laqueus pedibus, viscus alis? Quot sunt qui exterius referunt oris venustate Helenam, interiùs cordis deformitate Hecubam?

II. Sublannent parvi magnos, formosi deformes, integri corpore, nævo aliquo conspicuos, recti distortos, gigantes, pygmæos: unus omnes denique finis manet, & ideò vanitatis brevi finiendæ monet. Licet cupressi rectissimæ, lauri altissimæ, platani umbrosissimæ, cedri pulcherrimæ, juniperi fragrantissimæ, alni celsissimæ sint, non tamen arbores illæ ideò sunt sæcundiores. Tument ad venustatem frondibus, carent ad utilitatem fructibus. Quorsum hæc? Ut intelligas, licet homo sit rectissimus corpore, celsissimus stemmate, venustissimus forma, fragrantissimus fama, non ideò integriorem esse vitâ. Quid hîc firmum in tanta rerum omnium infirmitate? Quæ turris tam alta, quæ moles tam firma, quæ fabrica tam solida, quæ domus tam splendida, quæ non ab edaci tempore consumitur: dein paulatim collabitur, tandem penitus destruitur? sensim enim aut labascunt fundamenta, aut dehiscunt parietes, aut curvantur trabes, aut discedunt compages, aut exedunt tigna stillicidia, aut convelluntur pavimenta, aut compu trescunt fenestræ, aut franguntur fores; & sic deficiunt sumptuosissimæ ædes. Si ita collabascit fabrica compacta ex marmore, lapide, ligno, ferro, calce, latere: quomodo stabit lutea illa corporis fabrica composita ex carne, sanguine, nervis, articulis, artubus, rebus infirmissimis? ô solida fabrica, quæ corrui unâ febriculâ!

O s

III. Ob-

III. Obnoxia est omnis, quàm homo sic deperit, illa perituri corporis elegantia, mille qui eam instant hostibus, videlicet oppitulationi lienis, calori hepatis, dolori ventriculi tum ori pedum, discordia humorum, motibus calorum, conjunctionibus lunæ, defectibus solis, ætatis calori, hyemis frigori. Itaque formæ nitor vernantium florum mutabilitate est fugatior: qua ut nihil est oculis gratior, sic nec tempore brevior. Hic accedit rarum esse commercium pulchritudinis cum virtute. Hinc illi venustuli & pomicati, qui muliebriter vultum expoliant, qui ad barbulam, & cincinnos ornatrices habent, cuius frequentior est usus calamistri, quàm calami, qui in veneris pupæ obambulant, pexi, delicatuli, effæminatissimi, ad nihil aptiores, quàm ut relegentur ad gynicæa. Enimverò raro conveniunt, & in uno corde morantur formæ dignitas, & castitas. Difficilis quippe est ejus rei, cui in multi expetunt custodia: & facile expugnatur, quod undique incessitur. Admoventur muris, scalæ blanditiarum, machinæque munerum, & latentes sub terram, fraudum cuniculi: si his artibus non proficitur, manu improba vis infertur. Itaque forma multos tentavit, & tentandos præbuit; quosdam stravit, & vel compulit ad crimen mortale, vel impulit ad mortem, si alterutrum extremorum eligendum; forma gratior, sed gibbus est tutior. Hujus sæpe reminiscere:

Esse solet raro pulchra, pudica caro.

23. DIES MARTII.

Nemo securus est in iis bonis, quæ potest
 invitus amittere. *S. August. de lib. arb. libr.*
2. cap. 14.

Nec magni- I. **C**ongerero unum in cumulum
 ficentia æ- quædam quæ perversè à
 dium, vestiū, perversis iudicantur bona,
 dapum, &c. quæ nullus potest possidere securus;
 quia cum possint facilè adimi, ne amittat, semper est
 sollicitus, ubi amisit, tristis. Hæc inter, est ædium
 magnificentia. Quid inde cristas attollis? si quid
 in laquearibus, in propylæo, in columnis, in tectis est
 laudis: illa non tua est laus, sed Architecti. Quæ-
 renda potius domus læta, quam lata: nec enim sem-
 per felicius habitat, qui fœtus. Imò raro secum ha-
 bitant, qui amplas, & splendidas ædes inhabitant. Ne
 quidquam ædes inquiris ubi nihil sit quod incom-
 moder, vel nullus qui displiceat. Est enim illud om-
 nibus magistra experientia testatissimum. Nulla do-
 mus, ubi non sit Momus. Jam verò cum domus Do-
 mino, non Dominus domo sit honestanda; quid
 prodest conclave instruere futili inaniam rerum
 choragio? sit in domo magis suppellectilis nitor,
 quam splendor. Quæ sit ad usum, non ad pompam.
 Suppellex Barbarica, domus est barbarissimus. Am-
 pla suppellex, materia est illex furibus, & muribus.
 Ut tuti sint lares contra læsaures, non desint religiosa
 modestæ pietatis instrumenta: hæc erunt domus
 non tantum, quæ illustrent ornamenta, sed quæ pro-
 pugnent, præsidia.

II. Ini-

II. Iniquo quorundam iudicio, magno est in pretio corporis ornatus. Affectatus corporis ornatus plerumque tessera est prostituta integritatis. Est extrema insaniam linea, gloriari lino, & lanam. Sic & cothurnis intumescere, & gnaviter desipere. Ut plautinum qui murice fulget, pectore sordet: non raris enim splendida vestis, est animi testis. Hinc nulli ferè exquisitor est corporis cultus, quam quibus animus est incultus. Comptulus, & comatulus, idem plerumque & sordidulus. Ardor venusti capillitii probitatis est probrum, naturæ opprobrium. Odores in vestibus, gemmæ in auribus, annuli in digitis, acupus sunt libidinis. Cincinni, calamistri, specula, pigmenta, gypsata chirotheca, myrothecia, vanitatum sunt theca. Corpus, ut rectè excolas, nec ad invidiam splendeat, nec ad contemptum sordeat. Utere veste, ut peccati monumento, pudoris tegumento, non putoris ornamento: tu illam, non illa te honorat. Nihil corpus nisi modestia ornat. Velet pudorem proprium, non sollicitet alienum. Cur vis patere, quod non licet videre? formam vestis status præscribat, non vanitas suggerat.

III. Nec desunt de grunnienti Epicureorum grege, homines, nullius minus quam sui Domini, utpote nati duntaxat abdomini, quibus lautitia cibi, est loco summi boni. Quid iniquius? cum vix ulla instituantur convivia, ubi non audiantur in probos convitia, ubi non referuntur aliorum vitia. Ubi congestus est selectissimorum ferculorum cumulus, illic certus est Temperantiæ tumulus: ibi peregrinæ dapes, ubi multæ animi labe. Carnis sagina, mentis est carnificina. Nam uberi, & tumidâ, pulpâ

acies

acies mentis obtunditur, & cordis vigor habetur.
 Quid aliud sunt distenta pinguedine corpora, quàm
 animata dolia? Illi quibus protensus est aqualiculus,
 ventre prominulo, enutriti vel in hortulis Epicuri,
 vel in culinis Aristippi, vel in gurgustiiis Afotorum,
 qui tota sensuum colluvione in corporis lenocinia
 proni feruntur, quod possunt nisi de carnibus, & ru-
 ctu, & ingluvie cogitare? vesperi helluando farciunt
 ingestis dapibus stomachum; manè oscitando exha-
 lant crapulam. Hinc mente cum carne impinguata
 animo subsidente, excrescit in amplitudinem, videas-
 que tumidos, & in orbem pinguedine rotundatos, ut
 opimos boves, arcuato ventre, & triplici mento no-
 vos Geryonas, cervice rugatâ. Utere cibo, ut vitæ
 pharmaco: quidquid in edendo est nimium, est to-
 xicum. Primus cibi abusus, primùm infligit animæ
 vulnus. Ingenium subtile reddit esuries; habes in-
 gluvies. Si optes tibi seram senectutem, altè tibi sit
 infixum hoc Vatis monitum:

Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.

24. DIES MARTII.

Qui perverse amat cujuslibet naturæ bo-
 num, etiamsi adipiscatur, ipse fit in hoc
 bono malus. *S. August. lib. de civit 12. cap. 2.*

Neculla **I.** **O**Mnia mundi bona hætenùs
 recensita, quàm debent esse
 mala, cum perversè amata,
 quemlibet reddant malum, nemi-
 nem

nem finunt bonum? Quid in bonis illis est boni, cum sint tempore tam brevia, celeritate tam fugacia, statu tam instabilia? Primò bona omnia mundi sunt caduca, quia cadunt ex alto ad ima, è cœlo ad terram. Sint licet latissimè diffusa regna, plurimis & pagis, & oppidis, & provinciis, & ditionibus opulentia, non sunt tamen nisi micæ, quæ cadunt de mensa divitis, scilicet Dei, ad canes, nempe ad mortales. De mensa illa, de qua dictum: (a) *Ut edatis, & bibatis super mensam meam.* Catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Quod modum est discrimen inter Imperatorem cum toto fortuna suæ choragio, hic viventem, & Lazarum sedentem ad mensam illam cælestem? Profectò tantum, quantum est inter Dominum, & canem. Quæ igitur hæc est cæcitas, quæ fatuitas, recusare Regias epulas in cælis, ut obtineas micas in terris? ut comedas pomum, perdere Regnum: ut te volutes in sordibus carnis, privari deliciis mentis. Id faciunt, qui ut nanciscantur bona momentanea, amittunt æterna. Quid ergo æstimas illa bona, quæ eò erunt pejora, quò fuerunt majora? mensura calamitatis, est antecedens felicitas.

II. Deinde bona mundi sunt caduca, quia non habent certum, & stabilem hæredem. Nam juxta Juris canones, caduca hæreditas, seu caduca bona sunt, quæ legitimum non habent hæredem. Itaque bona temporalia non solùm adeò sunt caduca, quia cadunt de parentibus ad filios; de filiis ad nepotes; de nepotibus ad posteros, & sic continua quadam successione ad alios; sed etiam quia cadunt sæpè de

(a) *Luc. 22. v. 30.*

domesticis ad extraneos; de civibus ad alienigenas; de amicis ad amicos; de Catholicis ad hæreticos, de hæreticis ad Turcas? Quomodo ergo quæ ad tot diversos, & toties cadunt, non erunt caduca bona? Quæ non erunt caduca si semper cadant ab hæredibus, & cum ipsi hæredes cadant? Quoties evenit, ut dum opulenta & loculenta hæreditas super aliquem cadit, non tantum illum non offerat, sed sua mole conterat: (a) *Super quem ceciderit, conteret eum.* Potius igitur timenda, quàm speranda est lauta hæreditas. Sit licet Regni unius cum metuendum sit, ne tantæ felicitatis mole contritus opprimaris. Qualia sunt ergo illa bona, quæ sunt potius materia metus, quàm spei? Quæ illa felicitas, quæ semper ob timorem casus, est trepida? Quæ ex illis bonis acquisitis securitas, quæ ob pericula nunquam non est sollicita?

III. Deterioris sunt conditionis mundi bona, quàm ipsa vocabula, & nomina. Nomina quippe sex tantum apud Grammaticos obtinent casus: at bona mundi quàm multis etiam dum stant, subjacent casibus. Pluribus obnoxia sunt casibus, quàm fretum inquietum jactatur fluctibus. In hoc tamen concordant, & conveniunt bona mundi cum nominibus, quod etiam illa, (b) *per varios casus, per tot discrimina rerum*, dicere possint, tendimus in unum extremum casum, qui à Latinis dicitur Ablativus. Cum enim hæc bona ad varios varia temporum conversione devoluta ceciderint, tandem ab omnibus auferentur, scilicet de illa mundi summa, & decretoria. Itaque perituræ sunt res hominum quotidie pereuntium: Mortale est omne mortalium bonum. Quicquid est, cui Dominus inscriberis, sit licet

(a) *Matth. 21. 44.* (b) *Virgil.*

apud

apud te, & juxta te, cum sit extra te, non est tuum. Si talia sint mundi bona, adeoque familiaris eorum fugacitas, quid ad illam veluti insolitam stupidi stupemus? quidve ex postulandum, si juxta naturæ suæ conditionem, simul & influant, & effluant? nec apud aliquem sint perpetua, sed pertæsa diuturnioris apud eum moræ, alias sedes quæsiuerint, eadem infidelitate, alio migratura, & nusquam stabiliter hæsuræ, donec prorsus in nihilum abeant? Hoc fuit hæctenus feretrum, quod nunc unum tenuit, nunc excussit, rursusque hoc dimisso, succedentem accipiet, breui rejecturum. Spretis igitur omnibus hæctenus conglobatis, & recensitis bonis, aliud investigandum, cui adhæreas, illis enim nunquam acquiesces, quia id indubitatum:

De re terrenâ, nihil est aliud, nisi pœna.

25. DIES MARTII.

Verbum caro factum est. *Joan. i.*

Unum bonum, Verbum Incarnatum.

I. **E**Cce hîc Verbum omnium verborum, quæ ab ore Divino proferri, quæ à corde humano fingi possunt, antiquitate primum, dignitate summum, ante omnia sæcula à Patre dictum, post quadraginta, & amplius sæcula à Matre factum: quod concepit humilitas; peperit virginitas, æternum infiniti temporis Verbum. Quem posthæc terreat Divinus homo, quem non alliciat humanus Deus? O Anima! eras prius Martha

exam.

exemplo sollicita circa plurima, ut reperires bonum; quo invento desineres esse malus; quo possessio inciperes esse bonus. Ecce hic bonum unum, simul & summum, ex quo, in quo, per quod bona omnia, in utero Virginis simul & Matris. Si quæras nomen eius, quod est admirabile, accipe illud ex ore cælestis Oratoris, quia est homini ineffabile: (a) *Vocabitur nomen eius Jesus*. Hoc est nomen olim decretum in arcanis Augustissimæ Triados comitiis, ante omne tempus. Ex solo Nomine proclivè erit intelligere, quis, & quantus sit ille, cujus tantum est Nomen, ut vel illud intelligenti sit Numen.

II, Quid est Jesus? si respicis, est sine principio Aternitas: si prospicis, est sine termino Immortalitas: si suspicis, est supra omne culmen Sublimitas: si despicias, est sine fundo Profunditas: si circumspicis, est sine mensura Immensitas. Quid est Jesus? cui servire, est utilitas; subesse, Dignitas; amare, sanctitas; timere, securitas; osculari, castitas; audire, Scientia; intelligere, Sapiencia; obtemperare, Prudentia; sequi, Gloria; assequi, felicitas; videre, videntis ultima Beatitas. Quid est Jesus? si vis adorare, est Majestas: si diligere, est Bonitas. Si sperare, est Misericordia. Si timere, est Justitia. Si admirari, est Sapiencia. Si operari, est Potentia. Si gaudere, est lætitia. Si salvari, est bonorum omnium copia. Quid est Jesus? si cæcus es, est Lux. Si infirmus, est Medicina. Si nudus, est Vestis. Si ignorans, est Doctrina. Si pauper, est Opulentia. Si inanis, est Plenitudo. Si pusillus, est Magnitudo. Si angustus, est Latitudo. Si debilis, est Fortitudo. Quid est Jesus? est sitiens

P

fons:

(a) Luc. 2.

fons; esurienti panis; mærenti solatium; laboranti
 præmium; currenti bravium; naviganti portus;
 regnanti patria; pugnanti corona; erranti Veritas;
 credenti Veritas; morienti vita; pereunti salus. Quid
 est Jesus? Est prodigium Naturæ, miraculum Gratiæ,
 opus omni ex parte absolutissimum; in quo laborando
 singulæ Dei perfectiones, se totas committendo
 toto impenderunt. Quo nihil Sapiencia mirabilius,
 nihil Bonitas melius, nihil Majestas augustius, nihil
 ipsa Dei charitas ad amorem potentius potuit effundere.
 Nihil addam amplius, quia quidquid de illo dixerim,
 perinde est, ac si siluerim.

III. Cùm igitur, talis, ac tantus est Jesus, qualis
 ac quantum jam legisti, sed nunquam satis intelleges;
 potesne melius, & utilius impendere, & super
 impendere omnes & ingenii nervos, & induta
 vires, & Animi facultates, & corporis membra, quæ
 in colendo, & amando eum, à quo ut posses amare
 accepisti facultatem, Jesum? Omnia quæ sunt à Deo
 condita, si possent humana voce resonare: quid aliud
 liud monerent, urgerent, clamarent, quàm ut amaretur
 Jesus? Non hoc fugiebat Augustinum, hinc illa
 illa ejus verba: *Cælum, & terra, & omnia quæ in eis
 sunt, ecce undique mihi dicunt, ut Te amem, nec cessant
 dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Et quomodo
 do ego, pro quo Verbum factus est, Caro, excusabo
 imò quomodo ego à cælo, & terra non accusabo
 si vivens in terris, te non amem super omnia: per
 quem propter me facta sunt omnia? Tanto plus
 Tibi debeo, quàm meipsum: quanto tu Jesu magis
 es meipso, qui pro me Incarnatus dedisti teipsum;
 toties dedisti nascendo, vivendo, moriendo, resurrexisti
 genitum.

gendo, & corpore toto me alendo. Pro beneficio tuo quod mihi dare potes minimo, ut tibi dignas agam gratias, non sufficit tota æternitas: quid faciam, ut satisfaciam pro beneficio, cujus magnitudo est infinita, amplitudo immensa? fac saltem, ut totum, quod tuum est recreatione, & restauras Incarnatione, faciam ego totum tuum amore. Te enim solùm intelligere, & diligere sufficit ad salutem. Sic pia modulante avenâ Poëta.

*Si Jesum discis, satis est, si cetera nescis:
Si Jesum nescis, nihil est, si cetera discis.*

26. DIES MARTII.

Quid est bonum? rerum scientia. Quid malum? rerum imperitia. *Senec. ep. 31.*

Bonorum
ra investi-
gatur.

I. **B**ona Naturæ, & fortunæ, quæ non sunt hominis, quia extra hominem, bona esse larvata, bracteata, personata, sive admodum nulla, adeoque è catalogo Bonorum expungenda, non digito leviter ostendimus, sed rationibus solide convincimus. Quod porrò tam perniciosè hallucinemur in discrimine bonorum, & malorum, causa est, quam innuit hodierna tessera, Bonorum, & Malorum ignorantia. Hinc malorum tantâ multitudo, bonorum tanta solitudo. Vertex itaque Christianæ philosophiæ, est illa scientia nostri Messias, scire, reprobare Mala, & eligere Bonum. O Bonum à paucis benè intellectum, quia à mul-

tis ut intelligatur, neglectum. Vestigia boni sagax
 ter odoremur, quia percepisse naturam & pretium
 Boni, erit pretium operæ. Unum tibi sit hoc
 filium, & animi propositum, ut tantum expensæ
 temporis, & impendas laboris, ut acquiras verum
 Bonum; quantum hactenus, ut acquireret verum
 Malum. Fac tantum, ut Animam serves, quam
 plerique ut Animam perdant. Cucurristi per
 fissima bona ad verum Malum; nunc ito per
 dacia mala ad verum Bonum. Hucusque per
 plurimâ, hoc est, vitia, sectatus es summum Malum.
 nunc per totidem bona, hoc est, virtutes, sectatus
 summum Bonum. Sed qui prius Mali ingenium
 ingenium deteximus; Boni indolem perferimus.

II. Nihil homini est bonum, nisi quod eum
 test promovere ad summum Bonum. Quid
 usquam vel spectabile est in terris, vel in
 le in cælis, omnia à Deo condita, possunt
 nuducere ad ipsum Conditorem. Itaque illorum
 bonus usus, tibi erit salus; abusus, erit
 Sed nos illa, quæ Deus vidit, postquam fecerat
 valde bona, nos mali, quia utimur malè,
 mus, ut nobis sint valdè mala. Quasi criminati
 rent Dei beneficia: nos illis utimur, ut instru-
 tis, quibus offendamus Benefactorem, ac si
 nefaciendo deliquisset. Deus dedit nobis multa
 magna, imò supra numerum plurima, ultra me-
 tum maxima: & nos perfidi, Deum offendimus
 multitudine supra arenam maris; magnitudine
 præ vastitatem montis contemptum, & scelera
 certantes vincere nostris sceleribus Dei beneficia

Martius.

Ecce data est tibi ab eo, qui in principio creavit cœ-
 lum & terram, potestas omnis in cœlo, & terra, ut o-
 mnibus, quæ cœli terræque ambitu constinguntur,
 pro arbitrio utaris, ut quidquid volueris, de illis fa-
 cias præter hoc unum, amare ea. Ut tu dares te Deo,
 Deus dedit tibi omnia creata, ut tu servias illi, illa ser-
 viunt tibi: ut tu maneat, illa fugiunt: ut tu subsistas,
 illa corrumpuntur: ne pereas tu, pereunt illa: at ta-
 men non cupiunt amari à te, cupiunt, ut illum ames,
 à quo illa sunt: & tu, ut possis amare, accepisti facul-
 tatem. Dolent illa in summa ara Dei, hoc est in corde
 tuo, poni simulacra sui, ex nimio in illa affectu: de se
 sepius cogitari, quàm de Deo, sibi immolari non a-
 nimalia, sed animam tuam.

III. Tu cogis Dominum Dominantium servire
 in peccatis tuis: quia es causa, ut Deus faciens oriri
 solem, & pluens opportunis temporibus lactans fru-
 ctus terræ, coquens poma arborum, condiens pascua
 pecorib⁹, serviat gulæ tuæ. Facis, ut conflans metalla
 in terræ visceribus, avaritiæ tuæ ministret. O scelus!
 facere Deum servum servorum, hoc est scelerum. Fa-
 cere illum, qui est ipsa Libertas, captivum iniquita-
 tum: facere omnium Conditorem, promum con-
 dum facinorum: facere magnum illum Patrem fa-
 milias, æconomum malignitatum. Ut sit summa
 Creatoris tui injuria, tui ignominia, victimam metal-
 lorum, aut albi, aut honoris caduci, aut voluptatis
 momentaneæ, facis animum cœlestem, & in hoc
 Gratiam Divinam, & ex hac Gloriam æternam. Sic
 cuncta, quæ Deus fecit valdè bona, usu illorum ma-
 lo, abducunt te à summo Bono. Quasi tibi à Deo
 fuisset irrogata injuria; quia tot in te erogavit mune-

ra. Ne ergo tui exitio, nimium tuo indulgeas genio, in hoc impendas omnes nervos tui ingenii, ut comprehendas omnium rerum genios, quia ob rem imperitiam, multi pereunt. Nullus tibi plus nocet quam tu ipse tibi dum nocitura eligis, profutura tuis. Omnia tibi erunt innoxia, si ipse tibi peccatum non nocet. Quid enim tibi, si fueris innocens, nocet, quandoquidem:

Quod nihil, & nulli nocet, utique non nocet ulli.

27. DIES MARTII.

Bona temporalia ne putentur mala, dantur & bonis: & ne putentur magna bona dantur & malis. *S. August. Ep. 70.*

Creata bona sunt tantum Dei vestigia.

Adhuc scrutamur auream nam boni, ne decepti bonorum larvis, reddamur mali. Illa, quæ vulgi imperitiæ

su existimantur non mala, & æstimantur ut bona dantur bonis, ne natura sua judicentur mala: sed perverfo iudicio censeantur bona magna, dantur malis, qui coram Deo non sunt magni, id est, malis. Illud unum perenni ab omnibus fletu est deplorandum, ut cum illa bona dantur malis, illis toto affectu consecrati, eum deserant, à quo omne bonum, ipsam bonitatem. Quid si Monarcha, totius terrarum Dominus, designaret diem, quando, & locum ubi vellet communi omnium procerum cultu, & adoratione inaugurari, & ad hoc indictis jam comitiis, totius magnificentia suæ apparatu in throno consideret expectans in publico confesso sibi addictum cultum, & si cum populo, Dynastæ omnes spreto Cæsar

re, eique obverso tergore, non Cæsarem, sed Cæsaris impolitum aliquod simulacrum venerarentur. Imò si non ejus simulacrum; sed in qua nulla illius foret similitudo, notam vestigii ejus colerent, & proni adorarent. Quis foret illius sensus? quæ excandescens animi indignatio: Hæc de te non est fabula, nec parabola, sed historia.

II. Bona creata, quæ sunt vestigia Creatoris; bona mutila, & informia, quæ sunt rudia lineamenta infinitæ Bonitatis, bona peritura, inquam, deperis, illa tibi sunt in loco primo, in pretio summo, quæ sũt nati, & Hocci; illa tota corporis, & animi contentione sequeris, & prosequeris, ut assequaris, & Deũ, ex quo, in quo, per quem omnia bona, solitarium relinquis. Tu illi, à quo, & propter quem procreatus es, stupente celo, indignante terra, obvertis tergũ, & illi præponis lutum: imo quis non deficiat præ dolore, hoc audiens? præfers cænum Divinitati, ut cænum attollatur in Deum. Quid tibi ô Anima imponis, ab aliis imponi sinis? Nosce bona creata non esse nisi Creatoris rudes imagines, multum dissimiles similitudines. Cur placet umbra, & displicet vivum Archetypum? Quid si peregrino ex itinere fatigato proponas hinc equũ vivum, inde sculptum? quid aget, ut commode peragat iter? an relicto vero & vivo equo, in filiet in fictum & sculptum? an, ut equitet, accipiet statuam equi, quã onustus fatigabitur magis equum portando, quàm sublevabitur ab equo portatus? Bona creata tibi peregrinanti ad illam, quæ sursum est Jerusalem, magis sunt oneri, quàm usui: sunt emortuæ staturæ Bonitatis vivæ. Propone homini immaniter esuriienti panem verum, & pictum: anne, ut pellat samẽ,

accipiet pictum panem? Hæc tua ipsissima est floditas, clamas cum Prodigio: (a) *Fame pereco*; & tunc ne pereas, habes panem vivum, qui descendit de celo; ambiciosè prehenas, ut pereas, panem pictum hoc est, umbras æternæ Bonitatis.

III. Panis pictus non satiat; sed figura est eorum quod satiat: sic bona creata non satiant insatiabilem cor; sed imagines sunt illius, qui unus satiat omnem Deum. Congere unum in cumulum bona omnia creata & creanda, non plus poterunt voluntati satisfacere, quàm gelidam manum pictus ignis calefacere. Prænarum ardentium pictura, est ad oblectationem leminum, non ad calefactionem manuum. Tauri dum fanum habent in cornu, divertuntur, & illuduntur objecto pallio, aut alia re, quam innoxie sine hominis periculo impetant: tu objice grassanti cupiditati summum Bonum, ut à creatis bonis illam divertas in quod cum fructu ruat, atque in eo impetum desiderii sistat, quo ipsa consistit. Quid inhias stillæ extrate, cum habeas salientem fontem intra te? Quid vis cum Lazaro micis satiari, cum possis in cæna illa magna splendide epulari? Quid vis impleri atomo, cum habeas quæ totum te impleat ipsam Plenitudinem? Si avaro postulanti nummum argenteum, offeratur aureus, illo rejecto aureum arripiet; quia in hoc argenti valor non tantum includitur, sed exceditur. Si Cupiditati anhelanti opes, & delicias, illum objice, qui & hæc, & alia omnia infinito suo complexu continet. Itaque si tibi vis consultum; audi, & sequere Poëtæ consilium:

Factum factori summo præponere noli.

(a) *Luc. 15.*

28. DIES MARTII.

Celerem res habituræ finem, quæruntur
sine fine. *S. Hieron. Epist. ad Demet.*

Bona ex-
tra Deum
sunt peri-
tura.

I. **B**ona temporalia accusavimus
ut non bona, nunc etiam con-
demnamus ut mala. Bonum,
& integrum idem æstimo: Ergo bo-
num erit sine defectu. Quomodo sine defectu erunt,
quæ defectura ipsa sunt? Itaque cum & semper de-
ficient omnia temporalia cum tempore, & defici-
ent, necesse est, ut illa relinquunt. Cur tu potius, il-
la prius non relinquis? Quæ hæc hominum impro-
bitas? Nati sunt & procreati ad possidendum Bo-
num, quod caret fine, & illa cupidissimè sectantur,
quæ ipsa celeritate celerius currunt ad sui finem; &
festinant ut desinant: præcipitant, ut non sint. Illi
igitur, qui tanquam fascino excæcati, sive in incon-
stanti concupiscentia, sive in fallaci, & fugaci bono-
rum conditione infælicem statuunt fœlicitatem. Si-
cuti hæc veluti reciproco maris fluctu, nunc dantur,
nunc tolluntur: sic etiam ipsi, dum recipiunt, fœlices
sunt; dum amittunt, infœlices gemunt: nam in insta-
bilibus instabilem reperiunt, vel lætitiâ in bonis da-
tis, vel mœrorem in donis ablatis. Hinc Nazianze-
nus maris instabilis multiplices contemplans motus,
ita dicebat: (a) *Hic & lapilli, & algæ, & buccinæ,
& levissima ostrea extrudebantur, & quasi expone-
bantur: nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus ar-*

P 5

ripte-

(a) Orat. 28.

ripiabantur. Sic reciproco veluti maris exæstuantis accessu, & recessu, homo nunc gaudet, nunc moeret, flet, ridet, cantat, plorat, plaudit, plangit, consistit, succumbit: concinit nunc epicedia, nunc epinicia; tenet manu nunc victricē lauream, nunc sepulchralem taxum: spirat, suspirat, expirat. Denique totus humanæ vitæ status, nil est nisi perpetuus casus.

II. Hæc bona frivola, & eorum si expenderit defectum, animo deficiet, intelligens hominum animos illis tanquam nunquam defecturis adhærere. Quod si fursum oculos attollas ad perennem omnis boni fontem, invenies omnes mundi reculas, non esse nisi illius immensi Oceani tenues stillulas. Stella quia à sole mutuatur lucem, coram eo non apparent, quasi desissent esse. Sic creata omnia, quæ adorant humana cupiditas, quia acceperunt, ut essent, ab eo, qui solus est, ideò sunt quasi nihilum. Et illa, quæ sunt nihili, facis maximi. Potiùs contemne contemptibilia: & dole aliquem tuæ naturæ participem, Dei tam immemorem; ut quæ sunt nihilum, æstiment ut Totum. Itaq; satage restaurare opprobrium communis naturæ, amando pro omnibus Creatorem omnium. Omnium amorem, quibus filii terræ amant terræ pereuntia bona; reum te crede, & satisfac amando perpetuo æternum Amorem. Omnium inclinationum, quibus res ad centra sua prorunt, debitorem te æstima; nec differas solvere majorem cum impetu mentem, & amorem efferendo ad cælum, quàm saxum molare devolveretur è cælo. O quale quantum bonum est illud, cuius vel umbram tot conatibus amant creata omnia: ad quod aspirat, & concertat totus, & omnis omnium Amor. Tu omnes

omnes dispersiones inclinationum, omnes errores cupiditatum, omnes inclinationes desideriorum, omnes propensiones appetituum, omnes amores cordium in te congregare labora; ut illis in Deum totus tuas, & corrigas oblivionem hominum.

III. Mendacia rerum sunt longè perniciosiora mendacii verborum: sic & mendacium vitæ, quàm linguæ. Et tamen cùm omnia sunt vanitas vanitatum, hoc est mendacium mendaciorum, finimus illis nostros affectus abripi, nostros amores decipi. Vix præ ira possumus animum componere, si quis nobis imposuit, stomachamur usque ad excalescenciam: si quis in re futili, & inutili decipit; & tamen in negotio inestimabilis momenti, seduci nos non tantum patienter ferimus, sed libenter volumus. Nolumus mendacium audire, vel dicere, & volumus mendacium esse, & vivere. O miseri! nec tamen miserandi, quia ambimus nostras miseras: ab aliis decepti, nostri ipsius sumus deceptores. Existimas grande piaculum, si quis exprobet te commisisse mendacium: & mendacia si rarò dicis, perpetuò facis. Præferre cænum cælo, vitium virtuti, tempus æternitati; quo nihil est tibi familiarius, mendacium est operis, quod non excusat silentium oris. Ut per omnes superos fatearis te id non præstare, & jure jurando id confirmes: mentiris strenuè; quia facta probant te id facere, licet neget lingua. Sicut igitur facta, qualis sis, probant: ita necesse est, quis sis, prodant. Nihil enim quàm verum est:

Arbor ut ex fructu, sic nequam noscitur actu.

29. DIES MARTII.

Omnia sub sole vanitas : Proinde supra so-
lem veritas. *Paulinus Epist. 4.*

Suprà so-
lem quæ-
rendum
bonum.

I. **Q**uidquid est sub sole, & infra
lunam: non solum est instar
lunæ inconstans, & fugax;
sed fallax, & mendax: imò non est
nisi mendacium. Jugiter & decipimus, & decipi-
mur, ad eòque sæpè sumus decepti, semper decepto-
res. Quis nisi cæcus, plus faciet oculum, quàm
Amicum? Et tamen quilibet ægerrimè fert decipi o-
culum, perfert decipi animum. Quàm cautus est
homo, quàm providus, quàm sollicitus, ne erret ocu-
lus in selectu lapidum, ne sibi vitrum comparet pro
adamante: ne lapilli adulterinus color, loco veri,
pupillæ imponat. Exigit ab eo, qui vendit, cautio-
nem. Imò quod verus sit lapis, cogunt eum adjurare.
O præclari, scilicet rerum æstimatores, qui maximam
pro minimis, minimam pro maximis curam gerunt.
Quorum industria se occupat circa lapillos, & ca-
pillos, & fritillos, circà res frivolas, res nihili, pro
quibus nihil non agunt. De rebus verò summis, ubi
de summa rei agitur, cura non tantùm est ultima, sed
nulla: & qui flent decipi oculos; rident decipi ani-
mos. Iniquè feras te esse iniquum, & seduci ab ini-
quis: doleas seductam esse mentem, non oculos.
Nefas existimas decipere amicum. Quis te tibi ami-
cior, & fas existimans te decipere?

II. Magno hominum damno, quin & multorum

exitio-

exitio, veritas eiecta videtur ex communi hominum societate, & hinc supra stelliferos globos evolasse. Hinc nihil sub sole, nisi vanitas, Pauci sunt, quibus, ut mulieri Apocalypticæ, (a) est luna sub pedibus. Multi sunt, qui Patrii Romani gerunt lunam in pedibus: imò quibus est luna in capite, verè lunatici, utpote stulti, qui, ut luna, mutantur. Et ideò quia infra lunam totum est vanitas; nihil est intra hominem, qui est infra lunam, nisi fatuitas. Honoramus nostra damna, affectamus pericula. Si quis in oculis nostris loco pecuniæ poneret siliquas, interpretaremur prorsus inexpiablem injuriam; & falli in bonis virtutis, & gratiæ, autumamus gratiam: nec dolemus, sed cum patientia, imò lætitiâ sustinemus nos habere fictas virtutes, fucatam fortitudinem, adulterinam Patientiam, spuriam Humilitatem, illegitimam Mansuetudinem, bracteata Constantiam, personatam Prudentiam, larvatam Temperantiam, hoc est, inanes virtutis umbras, non expressas formas. Vicia in nobis sunt vera, virtutes falsæ. Hinc multi sunt fronte Catones, mente Nerones: vultu Gratiæ, animo furia, exterius Charites, interiùs Eumenides: coram hominibus toti formosuli, coram Cœlitibus toti sordiduli.

III, Itaque cum omne id, quod est infra spheram lunæ, sit infra dignitatem hominis, adeòque nihil nisi vanitas, fatuitas, iniquitas, mendacium, nihil: ut tibi ab alto affulgeat veritas, mens efferenda est non solum supra solum, sed ultra solem. Cœlum, Veritatis natale est solum. Est in Deo, & ex Deo: Deus enim ut est Charitas; sic & Veritas. Una veritas,

(a) Apoc. 12.

tas, lex est omnium virtutum, lux omnium morum, fax omnium scientiarum, Dux omnium agendorum, norma omnium affectuum. Quantum ergo æstimas tui fœlicitatem; tantum æstima Veritatem. Imò si amas tranquillitatem; si expetis pacem cordis; si ambis illustrationes mentis. Veritatem ama, sic tibi perennabit Virtus, stabit pax, perstabit fœlicitas, & inter omnia infœlicia tibi ipsi semper constabis. Plus oblectat intellectum minima Veritatis obscure allucentis scintilla, quàm oculos sol totus cum toto suæ lucis, splendoris, ac evibrantium radiorum apparatus. Illa duce, & ille luce discernes falsa à veris, mala à bonis, humana à Divinis. Undè veritate nihil est amabilius, sic nec quidquam speciosius. Helena fuit omnium oculorum, ob formæ elegantiam, illecebra: illa tamen comparata cum Veritate, Helena videbitur deformior Hecuba. Accinit mihi Divus Augustinus: (a) *Incomparabiliter pulchrior est Veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum: pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroes adversus Trojam dimicarunt.* Itaque ut sapias, sape, & quære quæ sursum sunt, ibi est Veritas: Ipernas quæ deorsum sunt, ibi est Vanitas, ut fias cælestis, eleva te suprà terram. Enimverò:

Ex re terrena requies remouetur amena.

(a) Epist. 9.

30. DIES

30. DIES MARTII.

Animi affectio inhærentis incommutabili bono, proprium, & primum est hominis bonum. *S. Aug. de lib. arb. l. 2. c. 19.*

Solum est bonum, quod est incom-
mutabile. I. **P**erito adhuc, Bonum quærere
pertinax, quod vel post immen-
sos labores quæsitum, ac tan-
dem repertum erit salus reperientis.

Tessera hodiernæ diei Bonum hominis proprium, & unicum digito ostendit, quod est, cum omni alio bono incomparabile, videlicet Bonum, cui quis affectu inhæret incommutabile. Sub sole non tantum totum est Vanitas, sed Mutabilitas. Tametsi oraculo Veritatis, (a) *Terra in æternum stat*, terrena tamen nunquam sunt in statu, semper in motu: & dum se perenniter movent, nos utiliter monent, ut illis bonis, quæ transeunt (b) *tanquam nuntius percarrens*, nuntium remittamus. Terrena omnia in hoc solùm stabilia sunt, quod semper sint instabilia: & in hoc semper sistunt, quod nunquam sistant. Hoc ipsum debemus Divinæ providentiæ, quæ rerum instabilitate nos stabiles in Die amore, & firmos in ejus obsequio reddere studuit. Hinc nullus nisi vecors ea volet deperire, quæ semper pereunt. Et quo pacto poterunt illa menti conferre quietem, quæ omni destitutâ quiete, nunquam quiescunt? Quomodò stabilem reddent animum possidentis, quæ ipsa stabilitatem non possident? Nullus non mentem in terrenis figeret firmiùs, si radicem illa figerent firmiorem.

II. Mens

(a) *Eccles. 14.* (b) *Sap. 5. 9.*

II. Mens planè illi est amens, qui velit contumaciter in ea amore ferri, quæ semper ad interitum deferunt, & feruntur. Quid miraris mortalia mori, peritura interire? Pertinaci volubilitate vertitur fortunæ rota; & nunc se auream, nunc ferream pariter exhibet; ut quæ hodie sunt summa, cras fiant ima; & nunc prospera, paulò post mutantur in adversa. Tali in rota circumvoluti sunt dives epulo, & ulcero suo Lazarus: hic enim paulò post ex infimo loco elatus est in sinum Abrahamæ; hic depressus usque ad centrum gehennæ. Nemo igitur fortunæ perfidæ adhibeat fidem; plerumque immodica, modicum duraverunt: Omne lætum, tandem admiscet fletum. In orbe nihil constat, nisi Inconstantia. Vix momentum intercedit, inter cælum sudum & udum. Eadem hora mare est undis placidum, & ventis turpidum. Itaque sæpè fallit illud proverbium: *Semper felicitates cadunt Jovis taxilli. Fronti nulla fides.* Venit sæpè fortuna renidenti vultu, tanquam Comica; discedit furenti, tanquam Tragica: sic soccos mutat in cothurnos; pæana in lessos; rosas in spinas. Si cum aliis es sæva, tibi est blanda, suspectam habe clementiam, nam moræ usuram exiget, & te è circulo fœlicitatis abiget. Multi mortales non sunt suæ fœlicitatis patientes; sed cum illis bellè est, quasi bellum indicunt fortunæ, eique januam obstruunt; non, ne exeant, sed ne introeat: non nescii, illam non rarò eos redigisse ad ultimam inopiam, quibus præbuerat Cornu copiam.

III. Ne ergò susque, deque perpetuò instar pilæ datariæ volvaris, & revolvaris, & constanti vertigine, instar turbinis, omnem in partem verferis; desere,

Martius
re, à qu
bona: &
est inco
semper e
etiam int
illi conju
constans
nunquan
vis, fluctu
varias pa
hæreas co
suâ mole
tunæ bon
tam mut
Nullus E
tionibus
cabitur.
ratore, t
horarun
dum, in
confusu
vius, qu
quàm a
paululu
git, mo
tur. Si
reæque
jecto v
re in co
& amb
tanta
horta

re, &

re, à quibus brevi desereris, quæ sunt infrà lunam, bona: & toto amoris conatu adhære illi bono, quod est incommutabile, ut ipse fias immutabilis. Deus semper est unus; illi ergò adhærens, nunquam eris etiam inter multa, multus; Deus semper est sui similis; illi conjunctus, nunquam eris tui dissimilis: Deus est constans; illi unitus, inter omnia circà te cadentia, nunquam non tibi constabis. Si adhæreas malo navis, fluctuum pondere, & ventorum turbine, navi in varias partes inclinante, tu pariter inclinabis. Si adhæreas columnæ, semper stabis immotâ mente, ut illa suâ mole. Undè si homo adhæreat mutabilibus fortunæ bonis: nullus vertumnus, & Chamæleon est tam mutabilis; quàm erit voluntas illius hominis. Nullus Euripus, tot ac tantis fluctuum commutationibus agitur; quantis affectionibus illa reciprocabitur. Nullum horologium, quod destituitur curatore, tam est rotis, & partibus suis dissolutum, atq; in horarum significatione præposterum. Nullum oppidum, in quo vilis plebeculæ sedicio grassatur, tam est confusum, & cladi opportunum. Nulli est illi proclivius, quàm ruere, prosterne, jacere: nihil operosius, quàm attolli ad magna. Ut aviculâ uno pede illigata, paululum evolat è terra, mox relabitur: iterum exurgit, mox cadit, & reciproca illa contentione fatigatur. Sic animus est quasi Arundo inanis, Austri, Boreæque ludibrium: quæ vicina quatit; se elidit, & dejecto vertice immaturè ficcatur: nunc est cum Castore in cælo: nunc cum Polluce in Orco: jam nectare, & ambrosiâ victitat: nunc è stygio fonte potat. Illa tanta secum discordia maxime est evitanda. Sic nos hortante Poëta: *In tota vita, tibi discors vivere vita.*

Q

31. DIES

31. DIES MARTII.

Omne bonum aut Deus, aut ex Deo. *S. Augustin. de lib. arbit. l. 3. c. 13.*

Solus Deus est bonum. I. **B**onum à te tanto quæsitum ambitu, tandem reperisti nullo quæstu, immenso fructu. Est Bonum non aliquod, sed omne; non mutilum, sed integrum; non partibus divisum, sed totum. Est bonum, quod tibi non tantum adest, sed inest; quod non modò tibi est proximum, sed intimum. Fluit per venas tuas, insidet fibris, latet in visceribus; inclusum est præcordiis, residet in corde, insinuat per artus, permeat omnia membra: denique totus quantus es; si non es Deus, certè es Dei. Omne Bonum est Deus, & omnia bona ex ipso, & nullum bonum sine ipso. Hic ergò sta Viator, tenes meram contrahe vela, occupas portum; desiste à curtu, habes bravium; cane receptui, obtinuisti lauream. Quid quæris supra, vel extra, vel ultra Deum? Quis cum sit Bonum summum, est votorum omnium summa. Quocum melius esse, quàm cum illo esse? quocum æternum esse, est beatum esse? Potest nè momento ab eo abesse, à quo solo tibi datur esse? Molestum nè tibi sit cum summo Bono esse, cuius deliciae sunt, tecum etiam vilissimo esse? Cur te Deus subducis, qui te ad omne Bonum manuducit?

II. Adest tibi, cum illum cogitas, cum desideras, cum amas: non jam tantum per naturæ necessitatem, qua abesse non potest; sed per Gratia benignitatem,

tatem, qua abesse, nisi indignis non solet. Evola igitur ad Deum tuum mente, quod potes; adhaerelce affectu, quod debes; qui ne à te vel Corpore abesset admirabili amoris artificio, illud sub Sacramento condidit. Quid jam indignius, quàm anhelantem ad te Deum declinare, quid fugientem à te votis revocare omnibus, & totis sequi desideriis debeas? Tu ille es, quilibet peccator es: desiderat te Deus tuus, & tu fastidis Deum tuum? Colisne eum, quem unum colere Majestas ejus exigit, Dignitas ejus monet, Beneficentia ejus meretur, officium tuum postulat, exemplum omnium monstrat? Colisne humilitatis tuæ obsequiis? patientiæ victimis, Resignationis tuæ holocaustis, Gratitudinis officiis, laudum encomiis, precum votis? Ita quidem si Deo tuo servieris, servitute brevi, æternum obtinebis, fiesque ex servo unius, Dominus omnium. Quid dubitas ei servire, qui ipse magis tibi servit, cum sit tibi ad tuum votum, omne quod potes optate bonum? Bonus est Pater filio, quem cadentem erigit; bonus est Dux peregrinanti, quem errantem in viam reducit; bonus est Magister discipulo, quem ignorantem instruit: bonus est famenti panis, sitienti potus, aegrotanti medicina, egenti pecunia, pereunti salus. Hæc bona per varia sic dispersa, Deus habet in se collecta: Deus est totum hoc solus, & amplius cuilibet homini.

III. Nunc igitur cum sit hæc indoles Voluntatis: ut toto pondere, hoc est amore (nam pondus ejus, amor ejus) ruat in bonum: & Deus sit omnibus unum, & primum, & summum Bonum; quidquid amoris in te habes, & ex te effundere potes; sic vires amoris, aliis impende, ut redundet in primū Amabile:

Q 2

&

& quidquid è cæteris amatur, ejus unius gratia
 metur, qui solus omnibus amandi dat potestatem
 qui unus amoris omnis est Auctor, & hæres, solus
 sui amoris amatores, patitur cohæredes. Amant
 sui amoris amatores, patitur cohæredes. Amant
 ordinem suggeram, dum tradam methodum prim
 declinandi à malo, deinde faciendi bona, ut meli
 esse desinas, & bonus esse incipias, donec summo Bo
 no à te possessio gaudeas, Amandi artem docebit
 qui unus in cœlesti Academia est Amoris didactica
 Spiritus Sanctus. Amandi facilitatem hauries ex
 frequenti amoris usu, & exercitio. Amoris fervore
 mutuaberis quotidiana summi Boni meditatio.
 Unum in hac Amoris palæstra cave, ne ullum ama
 di statuas terminum, nec definiàs tuum amore
 certis limitibus temporis, qui amoris æterno es con
 ditus. Sic amore temporis, sceneraberis amorena
 ternitatis: sic nundinaberis amando ipsam amabili
 tatem, hoc est, Amorem omnium Amorum. Quo
 dianam Amori tuo annonam è cælo suppeditabit
 bi quotidiana tessera; ut qui amoris es devotus, tibi
 perenne sit amandi non tantum desiderium, sed ex
 erciturum. Ne sis illi in redamando ingratus; à quo
 possis amare, accepisti gratiam. Enimverò, est ve
 rum illud Poëtæ Pronuntiatum:

Est amor ingratus: cum non sit amator amatum.

I. DIES APRILIS.

Aliis tempora defunt; alii temporibus se
 persunt, *Valerius Maxim. l. 8. c. 7.*

I. E.